

224042

OSZK

Országos Széchényi Könyvtár

Hind. h.

3893.

Handwritten text, possibly a signature or name, in dark ink, partially obscured by the pattern.



xL1, 6.

Continentur.

1. Metamorphosis Hungarica, auctore Schetz.
2. Tristium Hungarica Specimen.
3. Enthusiasmus Super Tricolle Hungarica.
4. Lani, et Olive Coniunctio.
5. Labé, Hova Othomannici Imperii Exuvia.

3893

1476
Quod. f. 1476

N. 9.
8

OSZK

27

27

METAMORPHOSIS
HUNGARIÆ.

uctore Petro SEU *Schetz* e. S. J.
TABULOSA REGIONIS, PRÆSIDIORUM;
ALIARUMQUE RERUM QUARUNDAM
MEMORABILIIUM

O R I G O.

H O N O R I

Illustrissimorum, Perillustrium,
Reverendorum, Prænobilium, Nobilium,
ac Eruditorum

DOMINORUM, DOMINORUM
N E O-

BACCALAUREORUM,

Dum

In Alma Archi-Episcopali

UNIVERSITATE S. J. TYRNAVIENSI,

Primâ AA. LL. & Philosoph. Laureâ

Condecorarentur.

P R O M O T O R E,

R. P. COLOMANNO RIEZINGER

è Societate JESU, AA. LL. & Phil.

M. Doctore, ejusdémque

PROFESSORE ORDINARIO,

Ab

HUMANITATE TYRNAVIENSI

DEDICATA.



224042





ILLUSTRISSIMI,
PERILLUSTRES REVERENDI,
PRÆNOBILES, NOBILES,
AC ERUDITI
DOMINI, DOMINI
NEO-BACCALAUREI.

Tributariam Honori Vestro Poësis se fistit,
tantisper respicite. Expectâstis fortasse,
ut Parnassus utrumque verticem pedibus
vestris substernat? Sed actum ageret. Du-
dum vos scientiæ prærogativa in sublime evexit. Aliud
vobis munus deferimus: an vos deceat, nil dubitate.
Scimus quidem, adeò curtam domi supellectilem Poësi
esse, ut quidquid ad dignitatem vestram propius ac-
cesserit, facultates illius omnes excedat: hoc tamen
qualecunque donum, ut ut dignitate vestra inferius
videretur, quòd nos offerimus; non est certè inferius,


quia de Vestro offerimus. *Metamorphosin*, seu formæ mutationem libello complexi sumus. Dudum res hæc est Philosophi, cujus arbitrio succedentium sibi formarum seriem *Natura* subjecit. Sed non tantum res Vestra est, quia *Metamorphosis*; sed *S*, quia *Hungariæ*; quia patriæ Vestræ. Illam Vestram fecistis sciendo; hanc invenistis nascendo. Nec miremini novum genus offerendi ex alieno. Vel tacita hac inopiæ nostræ confessione honoris Vestri magnitudinem, si non augemus, sanè confirmamus; ut quibus addi, quod non antè habuissent, nil potest. Delectari vos certè simili munere, ipsa hujus diei celebritas ominari nos jussit: quocumque aspicimus, *Metamorphosin* videmus; stillârunt nuper frontes Vestræ doctissimi sudoris guttis; nunc hæc in laureas baccas migravere. Erat hîc literarii certaminis arena; nunc amplissimi honoris amphitheatrum surrexit, in quod, dum *metamorphosin* Vobis submittimus, Vos nova, quemadmodum potestis, *metamorphosi* facite; ut, quæ mole exigua est, Vestrâ benevolentia in justam magnitudinem excrescat. Argumentum erit ingentis pretii, fuisse acceptam. Vivite, *S* favete.

Ita precatur.

Honori Vestro

Additissima

Poësis Tyrnaviensis.



P R Æ F A T I O.

SI pateris, canimus te tellus Hungara metris,
Dummodo, quæ canimus, qualiacunque legas.
Fortè minus nimia plectri ruditate placemus,
Fallimur? aut certè res placuisse potest.
Carmina mutata referent discrimina formæ,
Inde scies, qualis sis modo, qualis eras.
Vagit Musa quidem; sed & hinc tua gloria crescet,
Copia materiæ dum superabit opus.
Si, nisi qui vates te versibus æquet, & arte,
Nemo canet: quanto tempore nemo canet?
Ergo tuæ primùm statuam cunabula gentis.
Nemo dein, Hunnus quis sit, & unde? roget.
Mox urbes referam, fuerit quis & urbibus ortus.
Nî citius calami charta moretur iter.
Non ego vos fluvios, nec vos neglexero montes,
Carmen erit fluvius, mons quoque carmen erit.
His si plus quid habes (ut habes) ditissima tellus,
Dicam, quodque suum traxerit unde genus.
Neu tamen Historiæ quaras oracula: Vatum
Quæ legis hîc, à me more relata puta.
Est lex arcta quidem, simul ampla licentia versûs,
Scit pede, non semper verba ligare fide.
Rem quandoque metrum, non servat tempora rerum,
Sæpe locum mutat. Vatribus ista licent.
Quanquam sæpe teget genuinas fabula causas,
Sæpe sub ascito nomine vera damus.
Quis vetet hoc? semper licuit pinxisse Poëtis,
Effigies (nôsti) nulla colore caret.
Forfitan & dices: cantare hæc convenit ære
Calliopes: Elegus non solet ista loqui.

Parce: tubis nondum nostros assuevimus ausus,
Ære canat, cui vox, venâque major erit.
Laude caret (scimus) sincera aliquando voluntas.
Sed veniâ (satis est) non caruisse potest.

§. I.

DEscriptio plagæ, priusquam foret Hungaria: vota
Europæ, & Jovis ad ea responsio.

Hungara dum nondum tellus foret addita mûdo ;
Illo nulla fuit, quo modò, terra loco.
Si quid erat terræ (quis enim chaos omne revolvat?)
Fortè fuit parvo limite clausus ager.
Non poterat sterilis, nec frugum prodiga dici,
Creverat, at censu paupere, rara seges.
Finierat totas una arbor, & altera sylvas,
Non alibi tenuit regna minora Ceres.
Omnia diffusis suppressit viribus unda,
Jura dedit, litus quæ dare debet, aqua.
Nec, nisi quas voluit, metas agnoverat Ister,
Ripa sibi, lassis fluctibus, urna fuit.
Quà modicum tellus caput altiùs extulit undis,
(Quanquam vix tutè spernere posset aquas.)
Nescio, quem regem dicunt cognomine Svathum,
Semideùm populus credidit esse genus.
Hic malè divisum gessit cum flumine sceptrum,
Nî sceptri species, & magis umbra fuit.
Mania communi surgebant nulla saluti,
Fossa nec hostiles arcuit ulla pedes.
Qualiter, aspiceres, nunc hic, nunc serperet illic,
Parvula, vilis, inops, & sine teste domus.
Non secus, ac quando sudam violaverit agris
Tempestat facie luridiore fidem,
Cernitur in raras sparsim se tollere spicas,
Usta pruinoso grandinis igne seges.
Exiguo tectum spatium distabat, & imum:
Credideris muros grande fuisse scelus.
Regia, quæ populo leges, & jura ferebat,

≡ Dicitur,

Dicitur, & parvæ molis, & artis opus.
 Despexisse ferunt non alto vertice terram,
 Aëri quo fieret vix bene nota domus.
 Non aditus gladio, non certo milite tuti,
 Res ibi non visæ miles, & arma fuit.
 Vulnus hebes ferrum nondum mucrone minari,
 Aut didicit savis ictibus esse ferox.
 Quî sapiant animæ, quis in hausto sanguine gustus?
 Corpus in humanam nesciit ensis iter.
 Ipse chalybs aciem renuit : nam credidit unam
 Obtusi faciem vomeris esse suam.
 Ad sata servilis tenuit labor arcta colonos,
 Artis inexpertos, militiæque rudes.
 Cadere non nôrunt nisi sicco vulnere glebam,
 Rustica vel sterili bella movere solo.
 Europa O quoties lacrymis Jovis imbuit aras !
 O quoties gemitu vota loquente tulit !
 Stringe (potes solus) stringe Istri Jupiter undas.
 Cur hic quæ libuit, cur sine lege ruit ?
 Parvas adde moras, & erit mea regna phaselus,
 Heu jam me fluvius, jam ditione tenet.
 Non satis est, multo claudi me carcere ponti ?
 Et circumfusi ferre flagella maris,
 Nî pariter (si qua est) Ister dominetur arenæ,
 Imaque per fluvius regna Tyrannus eat.
 Non sic pars mundi, quam me tamen esse jubebas,
 Maxima, sed Siren, si tamen istud, ero.
 Scilicet hæc data sunt promissa superba puellæ,
 Quam tacito tuleras trans freta vasta Jove.
 Dixisti, memini, dum patris in arva retorsi
 Sæpe gemens oculos, non adeunda pede.
 Pone modum fletûs, nimium mea terga fatigas,
 Ignoras, lacrymæ quàm grave pondus habent.
 Non petis exilium, non sum tibi causa doloris.
 Fœnore cum grandi deseris arva patris.
 Quid tua regna gemis? nescis, tibi terra paratur
 Amplior. O quantum est patria terra minor !
 Par neque divitiis erit altera, téque, tuasque
 Orbis adorabit, Numinis instar, opes.

Fulva foris alii trans fluctus ara requirent,
 Spontè tibi venient nata metalla domi.
 Regna dabo, styga juro! tumens quà volvitur Ister,
 Prima metalliferas inter habenda plagas.
 Styxque, Deusque fidem meruit, nisi fallor, in ore,
 Et tibi tum Lethes, non stygis unda fuit.
 Fors data, me jubeas, quæram promissa sub Istro,
 Regnâq; sint pauca, divitiâque domus.
 Si non excidimus, si quis manet usus amoris,
 Vel me redde Patri, vel mihi redde fidem.
 Quantò me melius capiet phœnicia tellus,
 Sunt ibi parva quidem, patria rura tamen.
 Motus erat (quid enim gemitus non possit amata)
 Quòdque foret, doluit, justa querela Deus.
 Sunt mea, ne dubita, jurandi conscia juris
 Numina; prima Jovis vox sibi constat, ait.
 Cur falli timeas? prohibet me Numen, amorque;
 Sufficit alterutrum, sancit utrumque fidem.
 Nympha nimis properas, multo res rarior ævo
 Indiget, admisâ corrige vota morâ,
 Tantæ nempe fuit regna Hungara condere molis,
 Lassato poterant nonnisi stare Jove.

§. II.

*Scythæ cognitam Venatorum indicio terram bello sibi
 vendicant. Bonf. Dec. i. l. 2. Rer. Hung. unde
 Poësis Virginis Hunnæ natales deducit.*

JAM vota Europe spe lenta ducere pugnat,
 Regnâque pollicitis posse minora pati.
 En! seu consilium fuit, aut fortuna Deorum,
 Fertur in has, major Virgine, Virgo plagas.
 Rara Deæ facies, poterat thus forma mereri:
 Quamvis non esset (sed fuit) orta DEO.
 Regia Virgineas pingebat purpura malas,
 Nativumque decus muricis auxit iter.
 Lumina (quod timeas) generosis ignibus ardent;
 Sed, quod ames, spargit fascina nigra color.

Nec leve, nec molis corpus gravitate laborat;
 Digna sed est animo Numine, parque domus.
 Excipe, fœdifragus quòd non rubor ora coloret,
 Tyndaris in nivea plurima fronte sedet.
 Quam Paris invideat, quam (si patiatur amari)
 Bis repetant Graii, bis rapiantque Phryges.
 Pars animus melior (quamvis sint omnia Virgo)
 Nil tamen ingenii deterioris habet.
 Nescio, quæ forti latuit sub pectore virtus
 Mascula, vix facie dissimulante virum.
 Summa, licet roseo, Majestas ore sedebat,
 Aspecta poteras discere fronte patrem.
 Quæ fuit, aut visa est, dubiæ lanuginis umbra,
 Fecerat, ut quisquam crederet, esse marem.
 Alter Amazoniis juravit stemmata cunis
 Ducere; sed mutili pectoris omen abest.
 Quà refecat crines, niveo stat marmore collum,
 Quà manet, in nodum cogitur ire coma.
 Ex humeris pharetram suspensa gerebat, & arcum,
 E pharetra nocuum tela minantur onus.
 Induitur pro veste sagum, stat vertice cassis,
 Vitta vel in conum cassidis instar abit.
 Martia vis menti, pulcræque in corpore dotes,
 Nobile magnanimo pectus ab igne calet.
 Non assveta colo, non molles ducere lanas,
 Impigra non humili sudat ab arte manus.
 Est labor, in sylvis hostiles discere pugnas,
 Et certa pharetræ figere morte feras.
 Missile sive manu, tenso seu torqueat arcu,
 Ut fugiat, nunquam vulnera meta fugit.
 Sape jacet, sequitur simul, & volat ante sagittam,
 Capta prius, telo cerva sequente perit.
 Non ubi res poscat, verâ concurrere pugna
 Horreat, aut extra stringere tela nemus.
 Et nemus, & campus, licet usu dispere, novit,
 Non minus arma viris, quàm trepidanda feris.
 Talis adulta fuit, talem lux prima videbat,
 Virtutes animi munera lactis erant.
 Da modò Virgo tuas, ab origine pandere cunas,

Altius in seriem stemmatis ire iuvāt.
 Certa tuæ fient laudis mensura parentes,
 Nil es matre minor, nil genitore minor.
 Sed prius averfos ab amore Deûmque, Deâmque
 Urere quæ potuit flamma, referre libet.
 Fors erat, ut Rhodopen Mavors pertæsus, & Hæmum
 Desereret patrios Thracica regna lares,
 Urfit fama viam, quæ pulsa pace canebat,
 Nescio quod populi nomen in arma rapi.
 Summa fuit curæ, qualem decet esse Gradivi,
 Prælia nôsse virûm, militiæque modum.
 Quis gladiis animus, quæ sit fiducia ferro,
 Fortis an intrepido fulguret ense manus?
 Exierat Thracen, loca multis horrida saxis,
 Prata per, & campos latius orsus iter.
 Obvia tela videt rapido omnia concita cursu,
 Pars ruit in valles, pars juga summa petit.
 Hæsitat attonitus, simul omina mente volutat
 Tristia, quæque velit posse negare, timet.
 Pergit: & ecce iterum sine lege, sine ordine turma,
 Quæ loca trita viæ, quæ via nulla fugit.
 Illicet exclamat: quò fertis bella? quis urget
 Impetus? ast agmen jam latet omne specu.
 Mars abiisse ratus, sequitur vestigia cursu.
 Vix sonipes summum raserat æquor agri.
 Jam prope transfierat, quo turba jacebat in antro,
 (Nam specus exanimi muta timore silet.)
 Sed tremor ille metûs colliserat ensibus enses,
 Armæque qui texit, prodidit arma pavor.
 Protinus ad Martis venit fragor editus aures,
 Qualis erat, chalybis credidit, esse sonum.
 Inspicit, & quo nil videat Mars tristius unquam,
 Sub timida latitant ensis, & hasta specu.
 Adde, quòd imbelles, viso velut hoste, tremiscunt,
 Totæque confuso turba pavore fremit.
 Non mucro prostrati fumat tepesfactus ab hostis
 Funere, non facies sanguinolenta rubet.
 Lancea degeneri pallet suffusa colore,
 Hasta jacet timido pulvere sparsa fugæ

Ad frigus chalybis metus altera frigora junxit.

Missilium duplex ala timore fuit.

Scilicet irato similis, similisque dolenti

Occido Mars vivo Marte, Gradivus ait.

Bellica quò virtus, quò pulchri militis ignes?

Tam citò magnanimus deserit arma furor?

Vivere nescierant animæ nisi munere ferri,

Vitæque parta fugâ mors fuit una viri,

Victor adhuc hostis cavit, quem straverat, hostem,

Exanimi vivas ore vomente minas.

Martia vel lauros, vel mortes vidit arena,

Quaque stetit, textit funere miles humum. 100

Deficit omnis honos (pudor est) evanuit æstus,

Quo quondam gladii, quo caluere manus.

Vix bene nunc (video) quis cernere sustinet enssem.

Occupat ignavus castra, virósque timor.

Prælia vix cantat, vix buccina provocat hostem,

Undique respiciunt territa bella fugam.

Hicque status castris, dum Mars non debilis avo

Ipsè potest animos voce, manúque dare.

Quid tum fiet, ubi me tempore grandior ætas

Non bellis comitem, non sinet ire ducem?

Dixerat, & quamvis (Quis enim galeatus amavit)

Res sibi sit semper credita mollis amor.

Jam tamen in cunis optat vagire nepotes,

Jam multi titulum vult meruisse viri

Ne, si quando premet, totum premat ægra senectus,

Inque sua vireat prole juventa patri.

Nec mora: mox galeam deponat, & ocyus enssem,

Quæque magis castris, sed minùs apta toro.

Mutet patre ducem, fiat de milite conjux,

Si modò, quæ votis par foret, ulla foret.

Nam nisi, qua veniant similes de matre Gradivi,

Nulla tori consors digna futura fuit.

Nec nisi, quæ lassè reparet dispendia Martis

Ulla fuit soboles, qua juvet esse patrem.

Sed tamen esse juvat, gladiiq; animique fatiscunt.

Prociduum belli pondus Atlantis eget.

Qui simul, & generis, simul, & sit roboris hæres,

Prælia quæ ductor cum Patre, præque regat.
Visa salus lapsis erat hæc tutissima rebus,
Mittere posse suum, quod nequit ire, genus.
Pectora dum curis, nunc his, nunc dividit illis,
Ut bellis redeat, qui fuit antè, vigor.
Longius à patria Thracum statione recessit,
Euxinæ propior litora legit aquæ.
Est plaga, quam lava lambit de parte Mœotis,
Dexterior nigra plangitur ora Theti.
Insula tota foret: sed humus commercia ponto
Invidet, & geminæ fœdera scindit aquæ.
Parva quidem regio, tamen inclyta sede Dianæ est.
Creditur, haud Ephesus charior esse Deæ.
Has via Gradivum, forsân quoque casus, in oras
Detulit, hospitium Diva Diana dedit.
Tristia multa Deæ, quæ viderat, omnia narrat,
Quàmque loco vellet res meliore suas.
Illa diu Nymphis vix jam comitata duabus,
Dive meum tangis Mars mihi vulnus, ait.
Aspice: me toto quoque cinxerat agmine Nympha,
Altera de tanto restat, & una choro.
Grande putant pharetras onus addere, grandius arcum,
Ire timent sylvas: sunt ibi lustra feræ.
Vah meminisse pudet! nimis est modò femina Virgo,
Unicus est timidis fusa, colusque labor.
Stulta queri videar, quod nullo cingimur ense,
Quod patimur solis arma gerenda viris.
Ausa velut nunquam pugnare fuisset Amazon,
Nulla vel impulerit Penthesilea Getas.
Hypolite vellem timuisset ab Herculis armis,
Quanto nostra minus dextra pudenda foret!
Heu quàm degeneri nascuntur forte puellæ!
Fortia femineæ dedidicere manus.
Ille suis similes avida bibit aure dolores,
Et tacitus querulæ pendet ab ore Deæ.
Incipit extremum non desperare Dianam:
Spes desiderio crescit ab ipsa suo.
Ecquid, ait secum, par me dolor urit, & illam,
Quæ mihi, par illi fors medicina placet.

Horruit usque toros, sed non minus ipse refugi,
 Eliget exemplo mollior esse meo.
 Non tamen, ut vellet, nullis ambagibus audet,
 In sua Virgineam poscere vota Deam.
 Fortia quod desint, non sunt sine crimine Divi,
 Numina nos nostri (subdit) avara sumus.
 Non venit imbelli fortis de sanguine proles,
 Ubere de matris lac, animosque bibit.
 Nomina Divorum, mihi fac generosa recense,
 Adde diis fortes, (fortior una,) deas.
 Dic mihi, cui fuerint, cui sint sua stemmata curæ?
 Debemus viduo publica damna toro.
 Ut dictis facili videt aure favere Dianam:
 In sua non dubia fœdera voce vocat.
 At nimis in Venerem rudis, & connubia Virgo,
 Conjugis ad titulos ora, genasque rubet.
 Ora rubet, poterat tamen exoranda videri,
 Pectus ab ancipiti seditione labat.
 Nî nubat; generis: si nubat; damna pudoris:
 Ambo dolenda movent, sed magis illa movent.
 Nulla Venus Thalamos, dum svadet, dumque jugales
 Nil habuere tui, cæce puelle, faces.
 Lassaque fœcundos virtus sibi poscit amores,
 Dat tibi, (Mars,) victas in tua vota manus.
 Favet Hymen facibus: primis Dea prospera cunis,
 Discinctæ pretium virginitatis habet.
 Hunna dedit pretium, magnæ par filia matris,
 Hunna rudimentum grande futura tori.
 Mens, virtusque vetat, ne, quod speraverat, optet
 Mars pater, ut sexu de meliore foret.
 Indolis auxit opes amborum cura parentum,
 Artibus illa suis format, & iste suis.
 Corpus adhuc tenerum magnis assveverat ausis,
 Et totum didicit prima juventa patrem. 200
 Seu eat in sylvas; dicas venisse Dianam:
 Seu eat in campos Hunna; Gradivus erit.
 Sed non longa tibi patriis mora ducitur oris.
 Te tua fors aliò, fataque Virgo vocant.
 Jam loca per sylvas tremefecerat omnia telo,

Sive tuas, Tanais, Phosphore, sive tuas.
Cum subit has animum terras quoque cura videndi,
Ditior immodicis quàm tumet Ister aquis.
Nec mora: carpit iter sociis comitata puellis,
Pes tamen in cursus his minùs aptus erat.
Anteit illa suos, sed jam propè pœnitet ìsse,
Quòd fluvius nemori vix finit esse locum.
Nec rediisse libet: pudor est discedere terrâ,
Nec dare, vel pharetrâ, vel documenta manûs.
Fit propior campis, ubi sunt modò mœnia Budæ.
Tunc paucas aluit sylvula rara feras.
Virgo lata subit, telum dum promit, & arcum,
Surgit, & aspectu territa cerva fugit.
Et videt, & viso citiùs dea missile torquet.
Dum loquor, in tergo jam fera vulnus habet.
Sed mōra longa viâ, vel costa subegerat ictum,
Figitur in summa pigra sagitta cute.
Sentit cerva levis grave pondus arundinis, urget
Icta fugam, stimulos, quod gravat, addit onus.
Urit amor prædæ, multò furor acriùs, Hunnam.
Nunquid, ait, de me cerva Trophæa feret?
Insequiturque simul, succurrere certa sagittæ,
Nec decus elusæ cædis in hoste pati.
Sed fera rapta metu, dum Nympha propinguior instat,
Trans vada præcipitat, nansq; volansq; fugam.
Virgo distat adhuc: spem prædæ fecerat unda,
Ire super fluvio dum sua tela videt.
Qualis abit viso sobolis prædone leana,
Fertur, & ad ripam fluminis urget iter.
Litus adest: uno rapit impete corpus in Istrum,
Non habet, ut gressus falleret, unda moram.
Cervus, & Hunna volat: furor hanc, timor incitat illū,
Sed cursu potior causa furoris erat.
Nam fera mole gravis, vix jam vix innatat undis.
Langvida difficili flumine crura labant.
Sprevit Diva suo, non casam vulnere prædam.
Ut properet, vacui missilis urget honos.
Teste pudet fluvio vanam vibrâsse sagittam,
Hanc retulisse sat est. Cætera donat aquis.

Interea

Interea comites veniunt ad litora turba,
 Quælibet attonito lumine spectat heram.
 Lassa viæ spatio juveniles Delias artus
 Frangere non modico visa labore vadum est.
 Ergo cohors omnis, ne naufraga Virgo fatiscat,
 Obvia lassata brachia ferre parant.
 More tamen Dominæ se non dare fluctibus audent,
 Et vada remigio solius ire manûs.
 Sed neque tum scierant, quid possit in æquore pinus,
 In rapidis sylvæ non erat usus aquis.
 Transtulerant nantem tumidis è pellibus utres,
 Nulla suo poterat cymba carere Noto.
 Nunc venit auxilio, corpus tunc omne carinæ
 Transtra, fori, puppis, prorâq; ventus erant.
 Navita sic auris est quisque ferentibus usus,
 Ut faveant, arcto fœdere cavit uter.
 Hanc celeres adigunt in fluminis æquora classem,
 Hunna redit, taciti munere salva Noti.

§. III.

Hunna mutatur in regionem Hungariæ, sudor
 Istri, alter in calidum, alter in frigidum Bal-
 neum prope Budam.

Ister fortè sui festum Natalis agebat
 Non sine Convivis post data liba diem.
 Venit ab Euxino Triton, viridîsq; Palæmon,
 Quæque sua siren condiat arte dapes,
 Sedit, & Hellæo Leander in æquore prorex:
 Oceanus merso jus dedit esse freti.
 Ut simul, & Sesto foret, & vicinus Abydo,
 Hincque Lares Herûs cerneret, inde suos.
 Proximus assedit Neptuni Quæstor ad ortum,
 Qui de fluminibus certa tributa capit.
 Hunc prope, qui Ponti septena telonia curat,
 Ad quæ vestigal devehit Ister aquæ.
 Quiq; clientelæ nigrum mare jure gubernat.
 Tu tamen in lecto principe Svathe cubas,

Itque

Itque, reditque Scyphus, votis comitantur euntem.

Teste vovent paterâ prospera mille deo.

Fit Fragor : excussa subsidit arundine tectum,

Corniger, illapsus lancibus, hospes adest.

Cervus erat, telo nuper percussus ab Hunna:

Quem nequirit telum sternere, stravit aqua.

Hospita turba tremit, mensâsque, dapésque relinquunt,

Horror erat mensas, & meminisse dapes.

Turpe feræ corpus convivium funere celat.

Undique de patinis fragmina sparsa volant.

Quæ tenet ipse bibens pater, & bibiturus ad ora,

Territus illidit pocula cara solo.

Cornea materies Acheloi è fronte, laborque

Fecit, ut hæc summas duceret inter opes.

Sensus ubi tandem pulso terrore rediit,

Atque aliena metu mens sua facta morâ est.

Si valeat vultum, sed vix valet, erigit Ister.

An casus quatiant, Insidiave Domum.

Nutat ab immenso, quo nescit, pondere cervix.

Cernere ne possit, colla recurvat onus.

Ora turbârat nullus labor hæcenus Istri,

Venit ad insveti non grave terga jugum.

Scilicet accrescit moles ruditæ ferendi,

Et pars est oneris summa, tulisse nihil.

Quantum pressa potest, humero tenus, ora retorquet.

Flectere, quo videat, non satis illa potest.

Quoque minus molem, majora pericula cernit.

Terga jugo minui, jam sua, jamque putat.

Ergo timens vitæ (fortunæ cetera mandat.)

Abdit in occulti litoris antra caput.

Et calet, & friget, sudat, pallétque, rubétque

Sudor inæqualis, fronte, genisque fluit.

Duplex causa ciet, labor, & timor, asper uterque

Quæ ciet hic, friget; qua ciet ille, calet.

Improbæ (visa fuit) tandem stat litore moles,

Fessaque Danubii terga labore levat.

Vix erat, ut modicum respiret anhelus in urna,

Cura fuit, quæ sint pondera, nôsse prior.

Hunnam stare videt, (socios Hunna eminent omnes.)

Ordine

Ordine dein comites, cum rate quamque sua.
Qualiter arcta jugo Taurus si colla revinxit,
Ardet in authorem carceris, inque jugum.
Non minus Ister abit (flammas pudor addit) in iram.
Dedecus ulcisci quomodocunq; sitit.
Formidasse pudet, vacua sub mole carinae,
Subjecisse jugo colla premenda pudet.
Hunna Locum captans, oculo poscente, quietis,
Non procul à ripa corpora ponit humi.
Cespes ibi modicus Thalamum praebebat agrestem,
(Mollior est forti res scelerata torus)
Verticis, ut serves, tibi dat, Pisonia, tegmen,
Mulcebant Zephyri frigora blanda caput.
Ister, sicut erat, furiarum concitus aestu,
Dum sua membra locat Martia Virgo, videt.
Exilit, omnis abes mora, quin ulciscimur, inquit,
Tempora vindictae, nec magis ulla favent.
Continuò vires, quibus irruat, advocat urnae.
Litore de gemino flumen in arma rapit.
Quae simul ut veniunt, de ripis evomit undas,
Molliter in duro, quae cubat Hunna toro.
Momento citius liquidus furor occupat oram.
Tota superfusus contumelatur aquis.
Hunna sopore gravis, simul alto condita fluctu,
Diluvii furias, quam sciat, ante bibit.
Surgere ter pugnat, pugnantem deprimat unda.
Nequidquam sub aquis vincere certat aquas.
Omnia sed virtus tentari conscia jussit,
Ne cadat ignava morte sepulta vadi.
Viderat Europe, fluvium dum curreret Hunna,
Et rapuit species prodigiosa Deam.
Si modo Diu faveant, jam tum consortia Nymphae
Optat, & Heroa Virgine posse frui. (Hunna,
Nunc minus Haud lacrymis maduit, quam fluctibus
Quaque premunt illam, ceu sua fata dolet.
Quod superest unum, facit, unica vota supersunt,
Altera singultus, altera vota preces.
Verba Jovis penetrant aures, lacrymaque medullas,
Ferre laboranti currit anhelus opem.

Devolat in fluctus, : scelus hoc cur audeat, Istrum
Increpat, & toto Numine pellit aquas,
Perferrique jubet trinæ mandata sorori,
Ducere ne fufum definat ante diem.
Juffa deæ capiunt; fed fila madentia vitæ,
Lasæque fub fluvio non patiuntur opus.
Ergo Diva jacet, malefano faucia fluctu,
Victoris titulum non tamen Ifter habet.
Jupiter ut nequirit properantia fata morari,
Indomitam nota prævenit arte necem.
Ut petis, Europæ, Nympham tibi jungimus, inquit.
Pectoris hæc femper pars fit, eritq; tui.
Continuò crefcunt fpatiofa corpora mole,
Terræque fit fubitò, quæ modò Virgo fuit.
Ubera funt montes, fiunt de gutture valles,
Sylvæ de fterili crine repente virent.
Fertilis in campos uterus transmigrat, & agros,
Inque loco fobolis nafcitur alma Ceres.
Hinc puto, quòd superent noftræ fata Gærgara melfes:
Ipsa feget gremio Virgine gaudet humi.
Undique mutato mansit de corpore Nomen,
Nomen habet regio, quod fuit ante Deæ.
Tandem, Europa, tenes longi folatia voti,
Jupiter exfolvit, quam dedit ufque fidem.
Sed favet in dono, fimul, & caftigat eodem.
Explevit partes ira, fidésque fuas.
Ifter Agenoridis dat in ipfo munere pœnas,
Effufa que luit non leve crimen aquæ.
Fluminis Imperium latè nova terra coërcet,
Hætenus incertum, limite claudit iter.
Pifcis ubi fuerat, tondent fata læta capellæ,
Inque vicem remi jam vada vomer arat.
Qua tamen Ifter humum nuper fudore cavavit,
Extra litus, aquæ duplici fonte manent.
Alter a fudato frigefcit terra timore,
Alter a fudato terra labore calet.
Hinc fua funt gemino discrimine balnea Budæ,
Corpora quæ medicis viribus ægra juvant.
Hæc quoque lex jovis eft, ut aquâ qui læferat Hunnam,
Ille

Ille secuturo tempore profit aquâ.
Néve queant unquam fontem siccare calores,
(Frigidus ex ipso flumine lucra capit.)
Semper adhuc Ister nimis arctæ in carcere ripæ
Sudat, & invita balnea ditat ope.

§. IV.

Rex Svathus fit fluvius Vagus.

Cura, priórque pavor convivas usque tenebat,
Ante alios Svathum sollicitudo premit.
Præcipuè ut geminum sensit concrefcere litus,
Utraque, ne medium claudat arena, timet:
Protinus è fluvio saltu se librat in altum.

Ingeminat stimulos altera cura Throni.
Stat, stupet, & dubitat: non magni conscia ruris
Sceptra negant Domini, quod premit, esse solum.
Majestas totâ se dimetitur arenam.

Svathus erat toto, quàm plaga, rege minor.
Denique magnificæ deceptus imagine terræ,
Quæ sua sunt, Svathus non sua regna putat.
Scandit equum; sed equum Domini procul abripit error,
Immensâ repetit tecta propinqua viâ.

Invenisse suas poterat, nisi quæreret, oras.
Finierat citiùs, nî properaret, iter.

Quò magis abscessit, minus, & minus utilis ibat.
Quàm quæ regna petit, non minus ulla petit.
Nunc abit in dextram, (spes qualibet impulit) oram.
Quis scit, ait, dextra parte videbo lares.

Nunc abit in lævum, spes hîc quoque fallit euntem:
Læva (inquit) Dextrum forsitan omen habet.

Sæpe viam rediit rursus rediturus eandem.
Ivit, & ibit idem, quod modò damnat, iter.

Si videat vallem, vallis dabit ista quietem;

Si montem videat, mons, ait, iste dabit.

Utraque dum transit, deludunt utraque votum.

Spemque gemit fructu, sine carere viam.

Sic Cadmum dubio referunt errore vagatum,

Cui Jove sublata est fure, procóque soror.
 Astra quater Phæbum, Phæbus quater astra fugârat,
 Mutatus toties Hesperus, alter erat.
 Quam Vagus usque petit, dominæ vestigia sedis,
 Nulla propinqua tenet, nulla remota videt.
 Jam sonipes fassus nimium sudore laborem,
 Non bene, quod gestat, viribus æquat onus.
 Desine Rex stimulis, neû sit calcaribus usus.
 Es tibi, si nescis, in tua damna celer.
 Sed quid ego monitis non proficientibus insto?
 Verba Noti rapiunt, & sua fata virum.
 Ecce, cadit Sonipes, cum prolabente ruit Rex,
 Inferior premitur, quem modò pressit, equo.
 Vultus hiat plagâ, crus est à mole minutum.
 Pauca viri querulo membra dolore vacant.
 Ora sonant gemitu, stillat de corpore sanguis:
 Subsidium misero qui ferat, omnis abest.
 Moris erat Svatho, si qua procederet, unum
 Ferre larem gremio, quo duce carpat iter.
 Huïc ait: ô si quod laribus (non ambigo) numen,
 Numina nunc facili vestra probate manu!
 Vel mihi morte, viæ longum finite laborem,
 Vel reddar patriis (sat miser erro) focis.
 Dixerat: & sensim gelidus liquor occupat artus,
 In nova diffusum flumina corpus abit.
 Qualiter Helleo radiat dum Phæbus ab astro,
 Undique brumali de nive manat aqua.
 Qui fluit ex plagis cruor, it quoque concolor unda,
 Delicuit corpus, delicuitque caput.
 Ulva locò barbæ, succedit crinibus alga,
 Frigida sceptrigeras occupat urna manus.
 Sensus adhuc æstus superest regalis in amne:
 Ne dubites, calamo vatis inesse fidem.
 Qua caluit Svathus, flagrat unda cupidine regni,
 Sceptrâque sollicitis perdita quærit aquis. (isset.
 Gens vocat Hunna Vagum; quòd Rex Vagus ante fu-
 Sive quòd incerto permeet amne plagam.
 Per fata, per campos dubitantis more vagatur,
 Mutato variat litore sæpe viam.

Arida quæ nuper, latitat modò terra sub undis,
Omnia mobilitas arva timere facit.
Scilicet explorat Vagus omnes hospes arenas,
Exul ut inventa desinat esse domo.
Trenchinii rupem constanti flumine lambit,
Aulam Trenchinium credit habere suam.

§. V.

UTres, qui erant naves Hunnæ, mutantur in pisces;
vulgò Husones. qui non procul Budâ, & Co-
maromio capi solent.

INterea partes Ister se versat in omnes,
Vi manuum, & toto corpore nisus agit.
Si queat angusta ripas statione movere,
Aut lacera rursus currere liber humo.
Sed malè tentato vires consumit in ausu,
Irritus est, superos vincere velle, labor.
Si sapit, ipse velit, divam portâset inultus;
Ultus non ulli, quàm sibi pejùs erat.
Sic lædi poterat, cui se devovit, amicus,
Majus erat meritum non habiturus amor.
Sed dolor infelix, quas improbat, asperat iras.
Incitat amentes in sua damna furor.
Virginis ad ripas classis ventosa natabat,
Invisum, quamvis non grave, classis onus.
Quidquid adhuc superest, hanc contra provocat, iras.
Dant pœnas, Nautæ quas meruere, rates.
Hanc petit assultu, gemit altera faucia fluctu,
Hûic fodit infesto molle tridente latus.
Hanc jacit in medium, rejectam illidit arenæ;
Pars efflant animam, pars malè quassa trahit.
Omnia ne subeant similem labefacta ruinam,
Impediit celeris provida cura Jovis.
Tam bene magnanima merita de Virgine classis
Non, ait, est isto munere digna fides.
Spiritus intus erat; res hæc dedit ipsa salutem.
Vitalem subitò, quæ latet aura, facit.

Corpora mollescunt, vivæ sunt viscera pelli,
Nec levis in vacuo jam fremit utre Notus.
Quà patuere rates, ventoque dedere meatum,
Os manet, hac aër itque reditque via.
Cætera sunt venter, pinnis armantur utrinque,
Additur, & remi cauda futura loco.
In bovis exuvias spatioso corpore piscis
Immigrat, indigenum pelle stupente vices.
Terga carent squammis; hoc lavi ex utre remansit.
Hospes in undivagos advenit Huso greges.
Ipse suos Ister, nolit, velit, educat hostes,
Infelixque sibi Dedecus ultor alit.
Dedecus ultor alit, nec, clam quibus uritur, iras
Fas satiare palam est: Numina quippe vetant.
Parva levat timidè, non par vindicta dolorem,
In pisces tacita proditione furit.
Scilicet est aliquid pœnam potuisse minari:
Vindictæ faciunt ad genus acre, minæ.
Excubat in fraudem, miserisque in retia ducit
Gurgite, quo timeat nil minus, Huso perit.
Vidi ego, piscator damnavit sæpe laborem.
Præda repentè patet; dimovet Ister aquas.
Neve tamen possit tantum fors cæca videri,
Ipsa fit indicio fraus manifesta loci.
Litoris admonita memor est, favitque Sicambri
Hoc incaute, tibi si sapias, Huso cave.
Vel te rete trahet, vel perfida deseret unda.
Ut sapias aliis, litus adire potes.
Ridet, & insultat: nos quamlibet oderit Ister.
Dicite, tuta Jovis turba favore sumus.
Adde, quod ingenium superet crudele Perilli;
Heu mihi: non solis ars nocet ista reis!
Piscibus invenit post ultima funera vitam;
Vita sed hæc pœnæ pondus ad instar habet.
In falso docuit casos tumulare sepulchro.
Sal olidæ minuit putrida jura necis.
Tristia jejunis sic dant solatia mensis,
Hostilem saties Huso salite famem.
Est quoque, verte viam, statio malefida Comorræ.

Pinnirapos facies retia: verte viam.
Ister ut hinc solvat mutata iusta sorori,
Munera captorum morte cruenta dabit.

§. VI.

Ætas aurea, & argentea cum reliquis divis advenit in Hungariam.

Fama repens orbem perniciousa evolat alis :
Auctam non modico fœnore cantat humum,
Æra sonora tubæ, terramque videre cupido
Attraxit populos, cum populisque deos.
Huc Pomona volat, cum Pallade, Flora, Ceresque
Et divus, sine quo non placet ipsa Ceres.
Attonitos tenuit. (quem non tenuisset?) imago
Hactenus ignotæ prodigiosa plagæ.
Dicite vos campi, placidi, vos dicite, colles,
O quater hospitio rura beata Deum !
Nonne simul vidit, dixit, Campania, Bacchus,
Hic mea sit, vitis Massica cede locum.
- Audivistis agri, nec dissimulare potestis,
Ipse sua loquitur, fertilitate finus.
Rapta Ceres dixit : quot habent Hæ Gargara, Terræ?
Sperne tuam Dives, Pauper es, Ida plagam.
Quis mihi jam numeret, quot sint data munera regno?
Ambitionis opus plura dedisse fuit.
- Munificas aliquis grandi certamine spectat,
Et renovasse putat jurgia prisca Deas.
Judice cui pomo faveat victoria forma,
Sed fuit hinc Paridi nulla futura prior.
Non opus his donis, tellus se dives habebat,
Ipsa sibi suus est Bacchus, & ipsa Ceres.
Integer ad segetes venit unca falce colonus.
Non petit agrestes messis aranda manus.
Nec sua decipunt, nec solvunt semina fructus.
Non segetem segeti, sed sibi debet ager.
Serus inest vixdum natis autumnus in uvis,
Temporis officium terra beata facit.

Dulcis

Dulcis ab Hungaricis bibitur Methymna racemis,
 Hic mihi sat botrus est: nectar habete Dii.
 Pascua graminibus certant, & frugibus horti,
 Fata suas arbor ferre laborat opes.
 Canet lauta fames, & lecto luxus eodem,
 Munera non possint imminuisse soli.
 Dixero (sed plus his tellus divina mereris.)
 Naturam leges transfiliisse suas.
 Est satis illius; satis est mensura Deorum.
 Sed tibi si sat det, visa datura parum est.
 Sic decet, ut cujus, foret exteris orbis alumnus,
 Exsuperet plures fertilitate plagas.
 Aurea jam dudum toto atas exul in orbe
 Hospitio gemuit non superesse locum.
 Ferrea regnorum clausere repagula fines,
 Ferrea, tam placida non penetranda Dea.
 Ergo sedis inops nemorum per opaca vagatur,
 Tœdia lenibat frondea scena fugæ.
 Una sequebatur brevioris temporis exul,
 Non æquè senior, nec pretiosa soror.
 Sed pretiosa tamen, puero Jove regna tenebat.
 Nomen ab argento conveniente tulit.
 Fama, licet tenuis, nemoris penetravit in ima.
 Hungaricas cecinit non sine laude plagas.
 Audivere sonum. Votum est his vivere terris,
 Ambas augurio spes meliore vocat.
 Patria ter felix! qua vivere Numina prestant.
 Heu mihi! si scelus est, se sociare Diis.
 Utraque, dum subeunt, non sat mirantur arenam,
 Substitit infixus pes, oculusque solo.
 Hic sese inveniunt, prius ac venere, fuerunt.
 Omnis ab ambabus jam plaga plena fuit.
 Nulla vacat statio, se præcessere secutas,
 Utraque, quem teneat, dives, inopsque loci est.
 Munera sparsissent, fieri coguntur avaræ,
 Indiga nullius dona recusat humus.
 Nobilis argentum concordia junxit, & aurum,
 Materia populis hac micuere dies.
 Dona licet regno videre superflua Diva;

Est amor inventa prosperitate frui.
 Per nemus omne Dea, montes, vallésque pererrant.
 Mons vallis cumulat, deliciasque nemus.
 Nulla (nec in campo,) cernunt vestigia ferri. —
 Rusticus, & miles, vomer, & ensis abest.
 Quælibet, aternum sint hæc mea regna, canebat.
 Diî faciant (facient) nê canat ante Diem.
 Penè fit, ut subito tota regione fugaret
 Obvius, insvetas arma videre, timor.

§. VII.

Ætas aurea, & argentea viso ferreo Marte fugiunt in montes prope Cremnizium, è quibus eruitur aurum.

Mars Pater, ut nondum nunquam reditura redisset
 Filia, ferre nequit tædia longa moræ.
 Movit amor natæ patrio sub corde timorem;
 Omina suggestit suspiciosa metus.
 Quid si fortè, parùm faustè generosa fuisset?
 Sed quis te Virgo, robore præstet? ait.
 Securum virtus, fecit fortuna timere,
 Virtuti numerus major obesse solet.
 Formidare subit, ne per diversa viarum,
 Decepto repetat non sua regna pede.
 Quærere mox terris lentam juvat omnibus Hunnam
 Una viæ statuatur nata reperta modum.
 Mandere Cornipedem generosis dentibus aurum
 Imperat, & Domino pondere terga premit.
 Cingitur ense latus, galeâ caput, undique ferro.
 Pectus forte chalybs asperat, hasta manus.
 Magna cohors sequitur cultu non dispare Martem.
 Pars famuli, pars est sanguine juncta Deo.
 Omnia sollicito circum loca lumine lustrant.
 Irritus exercet, spémque, pedésque labor.
 Occurrunt reduces mutata nuper ab Hunna,
 Quos nata comites jussierat ire parens.
 Ordine rem pandunt, ut perdita penè procellis

Diva, sit Europæ pars nova juncta plagis,
 Illicet admissis properat furibundus habenis,
 Multa minans Istro, multa minansque Jovi.
 Candida cum fulva violas legere sorores.
 Pingvia quæ propior rura Tibiscus alit.
 Advolat altus equo, campo trepidante, Gradivus,
 Cinctus ab arata, ferreus ipse, manu.
 Gorgone ceu visa, terrentur imagine ferri;
 Exciderant calathi, lectaque ferta sinu.
 Nec locus (est patulus) nec pes fugientibus aptus.
 Membra repentino diriguere gelu.
 Ut fallant oculos, donec pratervolet, hostis,
 Arboris obscura corpora fronde tegunt.
 Transit agrum Mavors, tutæ latuere sorores,
 Ægra redit sensim Sanus in ora color.
 Fulva prior gemuit: soror hinc fuge. denique pratum!
 (Verba locutura fregit in ore tremor.)
 Nulla fides campis, campo fera bella geruntur.
 Ista viri facies quàm truculenta fuit!
 Mente sedet, nunquam felici cedere terra;
 Sed procul à sævo milite tuta petam.
 Odi ego, diva refert latos, argentea, campos,
 Quæ rupes tumido vertice surgit, amo.
 Præstat inaccessible mons altior hostibus arces.
 Esse jugi mecum munere tuta velis.
 Congrua visa loqui est, plagam inquitur ampla Tibisci.
 Non modicis properant in juga celsa viis.
 Res erat Hungaria tunc mons optanda per oras.
 Nondum Carpathius regna diremit apex.
 Sola procul calvas habuit Cremnizia rupes,
 Utraque legerunt hinc sibi diva lares.
 Forsan, an ancillam videant (ancilla remansit)
 Altius è petris extulit una caput.
 Nescio cui vultum radius perstrinxerat auri,
 Sed plus, quàm radius lumina, pectus amor.
 Primus hic effracta discerpit rupe cacumen,
 Equæ jugis docuit fulva metalla fodi.
 Ut gravis insonuit repetito malleus ictu,
 Occuluere caput saxa sub ima Dea.

Tempus ad hoc latuit, nec, si dent ara fodinæ,
 Corpore de geminæ Virginis esse puta.
 Quas calcavit, habent, auri vestigia rupes,
 Et pallam in celeri, perdidit una fuga.
 Adde, quòd afflârint pretium, fuit halitus aurum.
 Hæc capit è fossis aurea lucra fames.
 Surgite, tempus adest, de carcere surgite Divæ.
 Exulat è toto ferreus orbe dies.
 Cæsar iter tutum, timor omnis abesto, paravit,
 Aurea debentur lustra, (redite) Viro.
 Hic vir, ut Hesperia (dextras extendite) gentis,
 Fulva soror vobis fœdera jungat, aget.
 Fallor! an adverti vultus ridere ierenos.
 Ad tua (non fallor) Carole regna volant.
 Incipiunt populi fatis felicibus uti.
 Aurea te dignâ tempora sorte fluent.

§. VIII.

*F*Amula gestatum post heras aurum potabile in col-
 libus Tockainis effundit, quod in vinum mutatur;
 ipsa verò in Corylum versa aurum adhuc indicare
 creditur.

Pondere serva gravis post divas tardior ibat,
 Et suberat lapsus causa secunda moræ.
 Illa suis epulas humeris portabat herarum.
 Arboris Hesperia poma fuere cibus.
 Nectaris in morem liquidum serviverat aurum,
 Aut nihil à fulvo discolor unda Tagi.
 Floruit Herbose passim Tockaia colle,
 Nunc juga Thyrsigero Numine lata virent.
 Mons superandus erat, via nulla in valle patebat.
 Lassat hucus fessos mollis, & alta pedes.
 Serva gravi non par oneri, non parque labori.
 Monte super, sparso pondere, prona fuit.
 Collis, & omne madet pretioso nectare gramen.
 Obstupet, & fulvo rore superbit ager.
 Pocula continuo plena bibit aurea fauce,

Hesperidumque sinu poma recondit humus.
 Unicus innumeros pomi migrat orbis in orbis,
 Nobilis è gravidis vitibus uva tumet.
 Mox etiam botris liquidum se miscuit aurum.
 Certa sui generis dat documenta merum.
 Vincis : Thyrsigero canta Tockaja Triumphum,
 Invidet, & cedit qualibet uva tua.
 Uno vitis adhuc agitur generosa timore.
 Non petit, immodicè quamlibet hausta, caput.
 Inde semel cecidit, gravis est, scit, casus ab alto.
 Occupat extremum docta cavere locum.
 Seu magis effusum quibus est fallentibus aurum,
 Plectunt perfidiam conscia vina pedum.
 Serva suum spectat mutari mæsta liquorem,
 Quòdque foret Nymphis esca carenda gemit.
 Thyrsiger (exclamat) cur damnis ipsa supersum?
 Nectare mutato nos quoque coge mori.
 Vivimus, ut spectem, dominæ mea crimina mortem,
 Diva (precor) lapsum, non scelus esse puta.
 Hei mihi respiciunt, jam poscunt prandia Nympha!
 Plura parat : viridi cortice labra rigent.
 Pésque, manúsque stupet, radicibus ille tenetur,
 In ramos digitos porrigit ista suos.
 Vix tamen arbor erat, servæ vel in arbore forma est.
 Non altus famulæ signa fatetur apex.
 Nomen habet Corylus, res auri nota fodinis.
 Arcanus (si fas credere) sensus inest.
 Quippe latentis heræ fruticem præsentia tangit,
 Déque sua Corylum conditione monet.
 Ut caput, inclinat bifidum pia Virga cacumen,
 Sparfarum veniam visa rogare dapum.
 Curva cave Corylus, ne sis malè grata Deabus.
 Obsequium speciem proditiionis habet.
 Non cecidisse scelus, veniam est sic poscere crimen
 Plus quàm peccando, crede, dolendo nocet.
 Ad tua signa cavat suspecta cacumina foissor,
 Et dominas cæco sub lare carpit opes.

§. IX.

*M*ars de mutata in terram Filia Hunna conquiritur; Jupiter eum solatur, & futurum Hungariæ statum edocet; uti & eum Regem futurum; qui Hunnæ velamen capitis repererit. Attila, & Buda ad querendum id se accingunt.

Jupiter Ungarica nondum tellure recessit,
 Sicubi fors egeant Numine, visit agros.
 Mars inopinus adest. Latus urget pene Tonantis;
 Incaluit sonipes, quo furit igne Deus.
 Exprobrat acta Jovi; sub Tartara devovet artem,
 Orbos quæ tantum cogeret esse patres.
 Prima mei generis (queritur) spes altera belli,
 Debuit has formæ non subiisse vices.
 Flumina quid tandem poterant crudelius Istri?
 Nando fuit Virgo fors fugitura necem,
 Certius ut pereat, lethalibus eripis undis,
 Si facias vindex ista, quid hostis ages?
 Ne fieret funus, fecisti nempe sepulchrum.
 Ne condatur humo, sit mea nata solum.
 Jupiter insuetus similes audire querelas,
 Torva tæens monuit: parcius ista Jovi.
 Dandum aliquid furiis tamen in Mavorte putabat.
 Aut minus, aut nullum est militis ira scelus.
 Ore refert placido: nequeunt tua vota Gradive
 Stare magis certo, nec meliore loco.
 Si modò spem generis, vel belli projicis, erras.
 Parcius è Thalamo gigneret Hunna viros.
 Cura tibi ferri est, nescis aliena, futuræ
 Ætatis series non latet ulla Jovem.
 Fide Jovi: populis isthæc habitabitur ora,
 Nulla quibus gens non cedit honore sagi.
 Quæ patet Europe, figent sua signa triumphi.
 Imperium latè bella per omne ferent.
 Terra tibi solvet, quos debuit Hunna nepotes.
 Te tantum faceret vix gener ullus avum.
 Si minus à vultu, pater à virtute sciëris.

Non erit absimilis vultus & ipse suo.
Aspicias alios animis æquare cohortes.
Innumerum multos pectore ferre ducem.
Respice Jaurini, qua fortia mania surgent,
Hic Ducis in laudes area lata patet.
Palfius acre genus, quanta prius arte reclusum
Ingreditur, quanto vindicat ense locum?
Fortè voles Decios? dabit ad tua vota Sigethum
Devotum patriæ, pro patriæque caput.
Nescio in orbe parem; sed habet tres Roma minores,
Ultus nemo suam, quam subiere, necem est.
Hic animam gladiis venalem hostilibus offert.
Quam nisi centeno funere Turcus emet.
Poscet ab hoste necem, si sic tamen impetrat illam,
Nec timet armatas mors violenta preces.
Cæde prior multa, qua cædant, instruet enses.
Inferiasque suis manibus ipse dabit.
An minùs Estorades in nomen credis ituros?
Seliget hinc patres curia, pugna duces.
Quis feret Hunniadem, dum miles inibit arenam?
Pallidus ad nomen Phosphorus ecce tremit.
Bella notent alii referato limine Jani,
Hic lauros numeret, bellæque gesta sciet.
Ordine dein plures, donec vox sufficit, addit,
Et grandi loquitur Jupiter ore viros.
Parcitis Illustres animæ. cum laude referre
Longa mora est. Virtus vos sine laude vetat.
Audiit: & furias Mavors mutavit amore,
Dæque solo, natâ gaudet, ut antè suâ
Ceu lucra jam formæ dispendia ducit in Hunna.
Jacturam sobolis muneris instar habet.
Nî retro in patriam regni se cura vocaret;
Has hospes coleret, tempus in omne plagas.
Quandocunque tamen licet, Hungara rura revisit.
Dulcior est patriâ filia terra patri.
Hanc, sua ne desint charæ spectacula natæ,
Esse plagam bellis amphitheatra facit.
Hic, velut in circo, geminus colliditur orbis.
Duplicis Imperii diglantur opes.

Utque sinum terræ fecundo rore maritet,
 Campos phosphorico sanguine sæpe rigat.
 Una tamen tenuit suspensum cura Gradivum.
 Quam maneant regni sceptrâ tenenda manum.
 Sollicitatque Jovem; junctam sibi sanguine tertam
 Ut nisi cognati dextera, nulla regat.
 Jupiter excusat, si quam dent fata repulsam.
 Ipse, Deos, inquit, scis bene, fata ligant.
 Nec spem pone tamen, res est hæc purpura sortis.
 Rex, tuus esse potest, si favet illa, nepos.
 Ut levis aspiret sopitæ molliter aura,
 Deposuit tegmen verticis Hunna sui.
 Nobilis è Scythica servat modò gente virago;
 Qui capit hoc, populis regia jura dabit.
 Ad latus alter erat patruî comes Attila Martis,
 Alter Buda, gradu sanguinis ambo pares.
 Illicet excierant regalem oracula flammam.
 Muricis accendit spes, utriusque sinum.
 Ingrediuntur iter: certum est reperire puellam,
 Quæ ferat ignara regia fata manu.

§. X.

Virgo Pisonia, cui nuper capitis velamen servandum Hunna commiserat, in urbem Posonium mutatur.

Ister ut obruerat Dominam, Pisonia fugit.
 Nec videt, aut noscit, quam pede calcât heram.
 Invocat ergo viis, & quarit in omnibus Hunnam.
 De Domina campos, & nemus omne rogat.
 Attigit Austriaci frustra confinia mundi,
 Fluminis in ripa fessâ, calensque sedet.
 Non procul umbroso surgebat cespite clivus,
 Defendit radios sole flagrante salix.
 Incubuit monti solito formosior Ister.
 Colla, genasque recens Virgine lotus aquâ.
 Lenè volans Zephyrus pectus siccabat apertum,
 Svaviter in pexis luserat aura comis.

Barba reſecta Deo juvenes afflabat honores,
 More glabri mentum marmoris omne micat.
 Sat vidiffe fuit, ſatis ut non eſſet amanti.
 Hanc juris faciem jam velit eſſe ſui.
 Æſtuat, unde gelu ſudans Piſonia naſci
 Credidit, in medio frigore flagrat aqua.
 A phœbo facies, uruntur amore medullæ,
 Non expectato fluminis igne calet.
 Forma rapit Nympham, nomen non nôrat amati.
 Credibile eſt, hoſtem non adamâſſet heræ.
 Quàmque Iſter fluviuſ, tam nomen aqua eſſet in igne,
 Pectoris hoc ſolo frigida flamma foret.
 Mille modos dictabat amor, quibus uſa laborat,
 Nympha, ſibi thalamum demeruiſſe viri.
 Intima nunc blandis incendia vibrat ocellis,
 Nunc offert famulas officioſa manus.
 Invidet obſequium Zephyris ſiccantibus artus,
 Parte ſuus fieret, vellet, ut iſte labor.
 Sæpe legit flores, de lecto flore coronam
 Apparat, & verno cingit honore Deum.
 Virginis inviſa fors ora notaverat Iſter,
 Deliadi nuper dum comes iret heræ.
 Fronte ſedet torva, reicit de vertice ſerta,
 Ire procul lenam voce, manûque jubet.
 Spreta magis caluit, fax eſt in amore repulſa,
 Ut ſolet adverſo flamma vigere noto.
 Queſta quidem crebro eſt malefauſtos pectoris igneſ.
 Parve puer telo cor meliore ſubi.
 Cur feror in ſcopulum? gelidum cur ardeo ferrum?
 Frigidior ferro eſt, candet ab igne chalybs.
 Si fuit in fatiſ, Paphiis ut ab ignibus urar.
 Quo ſim fauſta magis, da Cytherea virum.
 Mox ſua vota negat. Vocémq; reflectit ad Iſtrum.
 Sed foret Ah ſine te quiſ mihi fauſtus amor?
 Et puerum, & pueri mites crudeliter arcus
 Devovet, & parca tela vibrata manu.
 Lædere quid ceſſaſ, cor (ait) malè ſigitur unum.
 Pectora quid viduo vulnere noſtra feris?
 Ille caret plagâ, quia non amat, illiuſ uri,

Atque meus parili debuit igne sinus.

Quis mihi det nostris fiant quoq; pectora votis,

Ut facies flammæ est officiosa mea,

Morte fuit sola longos positura dolores.

Nî nova, quam subiit, forma tulisset opem.

Hos satis O nunquam vultus laudata dedisti

Nuper Hamadryadum, Diva Vienna, genus.

Urbs capitis mundi, caput urbium, & orbis ocellus

Urbs tantum Domino, cujus es aula, minor.

Et lacrymans, & amans. Pisonia litus obibat.

Vota gemit litus, quod sua semper arent.

Ecce videt Nymphæ similes in imagine vultus,

Esse putat formam nonnisi posse Deæ.

Æmula frons ebori, sunt lumina bina Pyropus,

Gemma super celso vertice multa micat.

Mixti Chrysolitis stant turris more smaragdi,

Hæc facies Cybeles, cum veheretur, erat.

Sistit, & attonito non fat Pisonia vultu

Virginis immensum spectat in ore decus.

Inde tenent oculos pretiosa monilia colli,

Collaque divitiis plus pretiosa suis.

Hinc animum rapiunt geminæ via lactea malæ,

Quæque videbantur lacte natate rosæ.

Quocunq; aspiceret, mera sunt miracula formæ.

Unicum ab effigie nomen abesse dolet.

Divia Vienna tuus, fuit hac sub imagine vultus.

Hoc secum fluvius detulit Ister opus.

Vel sibi depinxit, vel dum dispendia formæ,

Judicio vitreæ diva stitisset aquæ.

Fortè fuit speculo, vitroq; fidelior unda.

Absentisque memor rettulit ora Dex.

Spectat in expletum raros Pisonia vultus,

Quamvis quos spectat, vix, sibi rapta, videt.

Omnia dum laudat; sese componit, & illam;

Sed causâ sua, se judice, forma cadit.

Ergo, ait, hoc deêrat miseris post omnia fatis?

Ut mea, quæ patior, damna coacta probem.

Heu mihi, quam retuli, videor meruisse repulsam!

Et meus est (fateor) non malè spretus amor.

Arbiter es justus, juvenis durissime rerum !

Qui desideriiis favus es usque meis.

Sicne mihi faveo ? justè me judice lador ?

Arbitra sum votis non satis æqua meis.

Belle ! scio, facinus spreti damnabis amoris ;

Sed damnare nequis, nî reus esse velis.

Si mea vota beas, fateor, sine mente beabis,

Causaque stultitiæ, stultior ipsa, ferar.

Nîl tamen hac moveant, furor est communis amori,

Qui sapiant, oculos non habet ullus amans.

Nil licet hac moveant, scio, non mihi, belle, favebis,

Non est velle tuum, cogeris esse ferox.

Si, quòd ames istam, mihi durus es, approbo factum.

Hæc tibi si magnes forma sit, esto chalybs.

Ista Deæ facies, hæc labra, hæc ora, genæque

Quemlibet indurant in sua vota sinum.

Incolat Hircanis favum cum tigribus antrum,

Quem vel visa semel non rapuisse potest,

Unum da miseræ, quæcunque es bella Dearum,

Pectus ut ambabus dividat ille, sine.

Non peto dimidium, minima sum parte beata,

Plus modò quàm nil des, grandia dona tuli.

Nescit avaritiam Pisonia, nescit amoris.

Aut non est, socio vel caret, ut sit amor.

Define votorum Pisonia, define falli !

Non, tibi quòd juvenis sit ferus, ista facit.

Ante tuos oculos facies formosa Viennæ est.

Ille vir O quanto est conditione minor.

Inspice fac frontem, Dominæ vestigia nosces,

Ister cûi famulo flumine genûa layat.

Visa erat effigies, Nymphæ sensisse querelas.

Imposuit lacrymis, tristitiæque modum.

Nam similem sensim formam induit illa videndo ;

Parte tamen multa mansit, ut ante minor.

Fit caput arx, reliquum succedit corpus in urbem.

Quattuor in turres pèsque, manúsque migrant.

Gaudet adhuc Istro, tanquam sint oscula, lambi.

Urbsque propinqua, prius quod Dea, flumen amat.

Oblatura velut regni diadema Viennæ

Aufriadum dextram tendit in arva manum.
Dextera servabat Dominæ de vertice tegmen,
Nunc sacra sublimis pignora turris habet.
Præscia nempe fuit, fas sit mihi credere, fati.
Quòd dabit Hungaricis Austria jura plagis.

§. XI.

*Attila, & Buda inveniunt Hunnæ Diadema in
Turri; de regno inter se litigant.*

Atila cum Buda jam dudum regna pererrant,
Heu nisi reppertâ, non sua regna, Deâ
Buda prior sensit latitantem turre coronam,
(Infelice vides omine, Buda tace!)
Per patulas gemmæ radios (parlere fenestras,
Advertitque avidum lux pretiosa ducem.
Vicinus (exclamat) donum fatale tenemus.
Fallor? an augurio me monuere Dii.
Testa subi mecum, lustra penetralia turris.
Quid valet hîc nostræ est causa, modûsque viæ?
Spreverat; at monitis paret tandem Attila Budæ.
Ecce jacere throni pignus in arce videt.
Non minor, ac regni fuerit reperisse coronam,
Est labor, inventam tollere posse loco.
Restitit arcanis, quibus haud scio, viribus ædes,
Non nisi depositum vi sibi passa rapi.
Credibile est arcem servatæ hucusque coronæ
Perdere tam subito non voluisse decus.
Aut sibi deberi jam tum Pisonia munus
Credidit, in fida, quod modo Turre gerit.
Quid facis, arx Virgo? manibus dimitte coronam.
Quam retines, solum est vitta profana Ducis.
Altera jam cœlo monitore corona paratur.
Sanctius hac regio nulla tenebit opus.
Urbe tibi veniet missum Diadema Quirini,
Tûque, quod expectant Lechica regna, feres.
Quod si Pannoniæ reget (ut reget) Austria terram;
Depositi custos unica grandis eris.
Dicêris magnâ tantum minor esse Viennâ.

Plusne vel à votis crescere possit honos ?
 Hæc capitis, sed tu fies Diadematis aula.
 Urbes Pannoniæ Thus tibi ferre jube.
 Quantum Regis abest, de cujuscunque corona
 Vertice, sed quantum vertice Regis abest ?
 Exsuperat tantum te nobilitate Vienna.
 Urbes Pannoniæ flectite genûa Dex.
 Attila post raptum multo Diadema labore,
 Ad patrum socio fratre relegit iter.
 Ille sed ad Rhodopen dudum, sua regna, recessit.
 Debueras Mavors arbiter esse Throni.
 Non bene conveniunt, nec in uno pectore fratrum,
 Regia Majestas, & socialis amor.
 Attila libata captus dulcedine regni,
 Imperii Budam cedere parte jubet.
 Non tulit hoc frater, verbisque reponit amicis :
 Sunt (ait) et nobis debita jura Throni.
 Non tibi ferre tuo fas totum est vertice Regem,
 Si facis : est media parte corona scelus.
 Non probat hoc facinus patruus Mars, consule Martem :
 Ille tibi trabeam, dicet, uterque ferat.
 Turpe foret, fratri partem dare nolle coronæ,
 Turpius est, meritum pellere velle Throno.
 Ultra Buda loqui parat, involat Attila contra :
 Imperio dignum te malè Buda probas.
 Aula duos, ergo credis, capit unica ? Nescis,
 Rege suo regnum quodlibet esse minus ?
 Majestate nihil toto est angustius orbe.
 Ampla nimis nulli est, vix aliquando sat est.
 Vertice vidisti forsan duo regna sub uno.
 Unam sub gemino, Dic ubi, Rege plagam.
 Nil possis, partem si possis Buda coronæ,
 Non patitur scindi : Divide, tota perit.
 Buda refert : potui totum mihi possidere sceptrum.
 Debueram fratrem me, meminisse minus.
 Quis scit ? adhuc Hunnæ fors quareret Attila vittam
 Quod teneas, oculo est gratia danda meo.
 Primus ego vidi, te nec credente, coronam.)
 Ultraque fors, vates diceret, omen habet.

Sed tibi, quid vates? spernis responsa Deorum.

Heu cave, vindictam Numina læsa parant.

Vox Jovis est: Rex sit, qui tegmen repperit Hunnæ.

Est mihi voce Jovis, debitus ergo Timonus.

Scilicet hæc meritis das dona simillima nostris.

Nam tibi quæ poteram non dare, regna dedi.

Debitor ut partis non sis, rapis Attila totum.

Regna negas, mihi quæ jure negare nequis.

Frater eram, visam te non celando coronam,

Ut tibi (cur hostis sis mihi) causa foret.

Non læsurus eras; meritis nisi dona fuisset.

Fidus ego, ut possis perfidus esse, fui.

Secula quid dicent? contra Attila ridet acerbum.

Quàm modicis sceptrum sumptibus hic vir emit!

Quid tot verba facis, jam jam tibi cedo coronam,

Cedo lubens, oculos da mihi Buda tuos.

O miser hanc orbis, qui nesciit hætenus artem.

Quanto parva sibi sanguine regna parat?

Felix Buda! suum fecit Diadema videndo.

Luminibus Buda dextera cede Midæ.

Sed mea cur (modico contentus) sceptrareposcis?

Utere fortunâ, qua potes usque, tuâ.

Aude aliquid, totum tibi, quis vetat, asserte mundum.

Aspice. jure pari fiet & ille tuus.

Falleris: omnis honos magno sibi constat, & illud,

Quo vanit, pretium non sinit esse leve.

Ut tu sceptrareferas. Meritum est vidisse coronam.

Quis sic non, cæcos excipe, sceptrareferet?

Fortia, si nescis, dextrareffragia regem.


Non acies oculi, sorsve, creare potest.

Aspexisset adhuc Buda, aspiceretque coronam.

Quam vidisse, nequit Regibus esse satis.

Attila nî Dominam cum Nymphæ casside sortem,

Abstulerit valida dexteritate manûs.



§. XII.

*Buda ab Attila interficitur, caput ejus resectum
mutatur in rupem, Sicambria Nympha in Ur-
bem Budam. Dicitur siquidem urbs Buda ex Si-
cambriae antiquae urbis ruderebus extructa.*

Exilit è sella rabidâ Buda ebrius irâ.

Rex si non videor voce tonantis, ait.

Hæc, & habet vagina Jovem, hoc oracula ferrum.

Ut tibi dem dextrâ, vis, documenta? dabo.

Experiere manum, dixit: jam mucro coruscat.

Attila tam celeri penè sub ense jacet.

Corripit arma, simul furibundo detonat ore.

Per patrum juro Numina, perque Jovis. (est.

Per sacra quaque, tibi si quid tamen improbe sacrum

Perque ebur hoc, nunquam quod scelerate feres.

Si veniam totis cruor intus imbribus oret.

Non parcam sceleri, non, styga juro, tuo.

Ni pede sub nostro mordes calcatus arenam,

Cumque truci vita regia vota vomis.

Jus hic, & ille suum gladiis rivalibus urgent.

Jus hic in populos asserit; ille petit.

Ense ferox ictus vibrat, & frustatur uterque,

A gladiis resonat campus, & aura micat.

Motibus alternis sese fugiuntque, fugantque,

Quos non fecit amor, fecerat ira pares.

Instat, qui cessit; cadit, qui vulnera cavit.

Nulla peracta pari causa furore fuit.

Nec, si (quod timeo) ferro cadat ictus uterque.

Ausim uni geminos imposuisse rogo.

Rursum erit, ut faciant, memores divortia flammæ,

Qualia Diræo visa feruntur agro.

Buda prior fratris frontem libaverat ense,

Savius in furias Attila lassus abit.

Ille cruore, bono pugnae velut omine latus,

Altius audaci surgit in arma manu,

Sed miser eluso dextram consumit in ictu.

Attila

Attila momento reddidit ense vices.
Vix levat arma, jacet caput à cervice resectum,
Jam trunco gladium corpore Buda vibrat.
Insultat pedibus victor, verbisque cadenti:
I nunc, voce Jovis debita scepra pete.
Dum Buda è Scythiæ nuper regione veniret,
Proxima Danubio Virgo Sicambra stetit.
Quam procul à Thalamis dudum dimoverat atas,
Formaque deliquium qua patiatur Hymen.
Corpus ab annoso glaciatum frigore pallet,
Flumine perpetuo lumina lippa madent.
Os hiat immensum, nec celat guttura labrum
Dum graditur, prono vertice spectat humum.
Sed licet in toto nil sit, nisi pellis, & ossa
Corpore, sola suis ossibus ora carent.
Faucibus è mediis possis subducere linguam,
Ad labrum qui dens excubet, omnis abest.
Si memini, facies Trojæ fuit ista, Pelasgo
Mœnia dum Priamus sternere jussit equo,
Esse super malas ter olympia dixeris acta,
Scissa videbatur semita mille rotis.
Undique rugarum nullo sunt ordine sulci,
Sape patet soli vix adeunda specus.
Non manus est operi, nec lingua sat apta loquela,
Gressibus alternis flaccida crura cadunt.
Vicino juvenem vidit de litore Budam
Quis credat? juvenem vidit, & arsit anus.
Scilicet haud ægrè dominantur in arida flammæ,
Ipsaque sicca ignis, dixero, semen habent.
Putrida cum niteant, nequeant cur ligna calere.
Nec magis hoc flammæ, nec minus illud agunt.
Donec ab invento Diademate Buda rediret,
Læsa senex tacitum pectore vulnus alit.
Ut rursus juvenis vicinas attigit oras,
Approperat quamvis præpete, lenta gradu.
Dum videt à longè rutilare per aëra ferrum,
Mox, quod erat, vetulam credere jussit amor.
Edit signa manu, pugnæque abssistite, clamat.
O ferro, ô juvenis jam cadit ille meus.

Dummodo pugnantium propior contingat arenam,
Se putat iratis ponere posse modum.
At piger à senio pes non erat æquus amori,
Jam miser abscisso vertice Buda jacet.
Incipe dispersis Elegeia flere capillis,
Quisque sit imber anūs lapsus ab ore refer.
Qualis ab Ogygio furit ebria Numine Mœnas,
Non secus amenti Nympha dolore fremit.
Nunc sedet ad funus, nunc totâ currit arenâ,
Nunc facie, & strato corpore plangit humum.
Et Budam pratis, & Budam immurmurat herbis,
Discunt finitimæ flebile nomen aquæ.
Budam verba vocant, Budam suspiria clamant,
Et Budam lacryma est scribere visa genis.
Vellere tentabat, sed erat frons calva, capillos.
Ungve genas, sulco si locus esset, aret.
Procidit in vultus, capitiq; incumbit amati,
Dicere plus lacrymæ nil, nisi Buda, sinunt.
Cetera sunt gemitus, & si penes oscula linguam
Callet adhuc aliam triste disertus amor.
Ecce novum dictu! dum prona recumbit in herba,
Et calido faciem sanguine tingit anus.
Incipit tactu vetulus juvenescere vultus,
Rugarum subito sunt via plana scrobes.
Agmina si fasces totidem, centena tulissent,
Tam citò vix poterant omne replere cavum.
Mentiar è vetulo rugarum codice, si non
Illitus erasit Lustra ter octo cruor.
Vix agit octavam lævis Trieterida vultus,
Nôsse fabrum phrygii qui potuisset equi.
Sive manu tetigit, vel vultum in sanguine vidit,
Certè dissimilem se sibi sensit anus.
Surgit humo: qualis prodit vendendus ab æde,
Quem poluit multo mango labore, puer.
Dumque sibi, juveni non displicitura videtur,
Acrius in Budæ cæde Sicambra dolet.
Si quid ait merui, malè Buda rependis amorem,
Non mihi, non viduis, convenit iste decor.
Debuerat gravior faciem fœdare senectus,

Tebuerat tecum Buda! Sicambra mori.
Barbare crudelis, fontique ferocior ense,
Milleno pereas vulnere, mille rotis.
Qui caput hoc juvenis poterat mucrone ferire,
Cur ego sustineo vivere: Buda jacet.
Cæsus es, ut scirem nostro quantum arseris igne,
Non amet, hoc signum quisquis amoris amat.
Ut tua sim, mea te frustra transfundis in ora,
O utinam fato sis meliore meus.
Quid juvat hæredem, quòd me facis esse Juventæ,
Plus dabis, hæredem si facis esse necis.
Optavi, fateor, meus ut sit vultus amati,
Dandus eras alio, sed mihi Buda modo.
Prisca redi facies, lacrymis da ruga canales,
Hic decor est mœstæ debitus, éstque seni.
Vultus chare tuos rursum tibi Buda resume,
Es nimis, & possis vix minùs esse meus.
Ut te possideam, fuit ergo necesse perire,
Quàm modo te juvenis non habuisse velim!
Si fuit hæc superùm, precor, & sit deinde, voluntas,
Buda! Sicambra comes sim tua, túque meus.
Serior illa meo, qua separer, hora sit avo,
Quin scelus hoc etiam Diî prohibete neci.
Tu, mea vita, mei dicêris funeris author,
Ipsa tibi tumulus, dicar, eròque tuus.
Molliter (incubuit) vertex dilectæ quiesce,
Molliter æternum te tua condet amans.
Vos superi precor, & tu votis annue tellus
Alma meis! dixit: sunt rata vota Diis.
Putrida ne possit sejungere corpora tempus;
Utraque compages durior ossa ligat,
Arduus è trunco Budæ mons vertice surgit.
Arx fit, & incumbit prisca Sicambra jugo,
Prisca quidem, juvenē, tamen arx habet edita vultū,
Mutatoque recens corpore forma manet.
Fundatura domum manus, & pes ima subivit.
Corpore de reliquo creverat arcis opus.
Auris it in turrim, sunt lumina bina fenestræ,
Mœnia, quæ cernis, grandia, vestis erant.

Nec secus ac geminum concrevit corpus in unum ;
Buda manet nomen montis, & arcis idem.
Sic dedit Hungariæ caput hoc capitolia terræ ;
Objice Tarpejum ne mihi Roma jugum.
Anne putem jam tum magnum statuisse Tonantem
Hungara Casareo subdere Regna Throno ?
Nam, bene si memini, semper Capitolia nôrunt
Non nisi Romani principis esse locus.

§. XIII.

Asbestus puer in lapidem ejusdem Nominis, qui in Comitatu Gómoriensi in montibus Dobsinensibus copiosè inveniri scribitur.

A Ttila sub Lechici venit confinia regni,
Quareret Hungariæ dum Diadema plagæ.
Carpathus has terras longa ditioe tenebat.
Carpathus è Lechico maximus orbe Gigas.
Hic simul ut vidit, geminos Heroas, in aulam
Advocat: hospitio est usus uterque domûs.
Cœnæ tempus adest, accumbitur ordine mensis,
Regius è patinis undique luxus olet.
Attila sed parcè, quin vix, velut ager edebat,
Quamvis non fuerit, sed tamen æger erat.
Sæpe dapes posuit plenum cessantis in orbem
Carpathus, ut positas sæpe rogavit, edat.
Raptus mente, suæ nec conscius Attila vocis:
Nulla famas stomachum, Carpathe crede, premit.
Nam vires exhaustit iter mihi prægrave. risit
Buda: famis ratio debuit ista dari.
Exquisita licèt, non allicit esca palatum:
Fecerat insipidas Barsia pulchra dapes.
Hæc ducis opposita Virgo de parte sedebat,
Unica Carpathii Barsia nata patris.
Vidit, & à visa fastidiit Attila mensam,
Pectoris ima fame nobiliore calent.
Tunc sua nimirum primò jejunia sentit,
Dum vicina sibi pabula cernit amor.

Barbis sola oculis, Barbisque satisfacit ori,
 Attamen (haud mirum) non satiare potest.
Lumina dum pascit, pectus depascitur ignis.
 Qua capiunt oculi pabula, flamma vorat.
Pulcrani saepe famem voluit sedare Lyao
 A consanguineo sed Venus aucta Deo est.
Et quo plus maduit, plus arserat, ipsaque Barbis
 Pulchra magis semper visa, magisque fuit.
Vino crevit amor, vitreus plus vidit ocellus,
 Dulce merum formæ multiplicavit opes.
Carpathus, ut cœna est mensis finita remotis,
 Protulit ex opibus rara videnda suis.
Res nova visa fuit : librum jactavit in ignem.
 Vicerat indomito frigore charta focum.
Litera sola perit ; libri nîl flamma voravit,
 Purius è sævis ignibus exit opus.
Mirandi spatium postquam omnibus antè dedisset,
 Causam prodigii pando, favete, refert.
Iverat ad fossas Cretnizam Mulciber auri,
 Noveritis claudis cruribus esse Deum.
Vidit, & irrisit Vulcanum Asbestus euntem,
 A forma lepidus, nec minùs ore puer.
En ! ait ad socium, faber hic metra cudit eundo,
 Et quodvis Elego carmine signat iter.
Quàm bene par impar claudo scit ludere passu,
 Vir tam festivi vix pedis alter erit.
Anteit, & curvo mentitur poplite gressum.
 Passibus alternis subsilit, atque cadit.
Mulciber iratus juveni omnia dira minatur,
 Sed tamen in puerum tela vibrare pudet.
Dum studet ulcisci, repit Salamandra per herbam,
 Serpens Sarmatico viscera plena gelu.
Hanc agit in puerum ; morsu . non ampliùs , uno
 Saucius, ultoris concidit ante pedes.
Momento per corpus hiems diffusa veneni,
 Omnia lethali frigore membra ligat.
Visque erat, ut referunt, pluvialis tanta colubri,
 Ossa ut sint gelidus facta, caroque lapis.
Sed tamen ingenium servavit molle puelli,

Ductilis in filum permanet usque lapis.
 Sive illum telam facias, telamve papyrus,
 Flammarum medio victor ab igne redit.
 Hocque putant alii, taciti signum esse veneni,
 Quod minuat domino frigore jura rogi.
 Qualiter invictas superat Salamandra favillas.
 Esse potest; fictis sed propiora puto fuisse)
 Credo, quod in puerum, (memor est talem ante
 Dedignetur adhuc Mulciber esse ferox.
 Aspicit Asbestum, seseque agnoscit in illo
 Attila, quæ vidi, sentio, mutus ait.
 Vivimus in flammis (oculos in Barsida raptim
 Projicit) in flammis vivo venusta tuis.
 Nec formæ, mea Barsi, tuæ perit igne character.
 Altius in pectus te mihi scribit amor.

§. XIV.

*Cypria Virgo in aquam viridem, quæ prope Bi-
 striciam, seu Neosolium ferrum in cuprum mutat.*

CArpathus Heroës vicinum ducit in hortum,
 Unde suæ possint cernere tecta domûs.
 Ambos stare rogat, digitumque intendit, & inquit:
 Cuprea, quæ monstro, tecta, fuere chalybs.
 Est prope Bistriciam viridis, nos vidimus, unda;
 Parva quidem, magni roboris unda tamen.
 Cypria prodibunt, chalybem si merferis, æra.
 Excidit; ut fatear, sed mihi causa rei.
 Fas modo sit genitor, referam narrata recenter,
 Barsis ait, nuper rettulit uxor avi.
 Colle super viridi magnetem Cypria vidit.
 Sederat in juvenis Ferrea Virgo sinu.
 Illicet exarsit, spe certa creverat ignis.
 Me vir, ait, fuscæ præpositurus erit.
 Adde, quod ipsa traho, genus aureo è sanguine Gangis
 Ferrea servili nonnisi nata patre est.
 Sed cassum obsequiis, cassum instat Cypria verbis,
 Esse vetat mollem Ferrea Nympha virum.

Cypria spreta furit, nec adhuc tamen odit amatum.

Divisum gemino pectus ab igne calet.

Tota viri lenam, fuscam petit ira puellam.

Duritiem juvenis Ferrea sola luat.

Vivere non patiar, quæ nostris æmula flammis

Vivis, ait, cedes Lena necata virum.

Déque rogo nobis Tadas animabo jugales.

Sic nigra formosis cedere disce locum.

Mille licet fraudes, quibus hostem perdat, adornet.

Nîl agit infelix Cypria, quidquid agat.

Ergo furore amens, crudelè precatur utrique.

Dixerat, in chalybem Ferrea Virgo migrat.

In lapidem Magnes, quod Cypria nollet, abivit.

Serò stygi votum devovet ipsa suum.

Acta diu furiis odiosam denique vitam

In desperatas præcipitavit aquas.

Unda licet frigens, studiis rivalibus ardet,

Et chalybis faciem vertit in æra Cypri.

Ut tandem Cypriam magnes cogatur amare,

Omnia si ferri pabula perdat amor.

Dúmque videt chalybem vultus mutare priores,

Spem Thalami flumen concipit, atque viret.

Fabula visa quidem, tamen applausere puellæ.

Attila præ reliquis mira relata probat.

Crede, dein subdit, flammæ felicius urent,

Si qui Barsis amat te, redamare voles.

Nec patiens ultro mutis ardere favillis,

In Thalamos natam patre favente petit.

Séque duci genitor missurum Barsida jurat.

Attila prosequitur conjuge latus iter.

§. XV.

Barsis Carpathi filia in aquam lapidescentem, quæ est in Comitatu Barsiensi. Wernherus de admiran. Hung. aquis. Carpathus Gygas in montem. Tibiscus juvenis in fluvium, cujus tertia pars ob mul-

*ob multitudinem piscium vivere dicitur. Wernher
ibid. Attila in Leonem. Cassis illius in Cassoviam.*

CArpathus ut primùm sponsus discesserat hospes,
Solicite vates, consulit, atque Deos.

Quid sibi de genero dicant, nataque marito?

Unanimi vates voce, disque moent.

Nata, generque tibi; sed plus tibi nata nocebit.

Author erunt patriæ mortis, utrumque cave.

Tristia celavit genitor præfagia Barsin,

Ad sponsum, quamvis urgeat, ire vetat.

Dum sibi difficilem Barsis videt usque parentem,

Eligit in Thalamos qualibet ire viâ.

Nescio cur, vel quò, longè discesserit aulâ

Carpathus, hac uti commoditate juvat.

Barsia venturam se nunciat Illico sponso,

Clam simul ignari Patris ab æde fugit.

Carpathus haud longum rediit post tempus in aulam,

A famulis natam discit abesse domo.

Vix Larium tetigit bene limen; itèrque resumit.

Barfi volas frustra, vincet eundo gygas.

Nondum lassus erat; profugam cum Barsida vidit.

Ut redeat blanda voce, trucique monet.

Surda fatigabat clamantem filia Patrem,

Quò magis ille vocat, longius illa fugit.

Vi raperet surdam; non ire propinquius audet.

Barsis enim sponsi jam propè regna tenet.

Ergo ferox irâ rupem de monte revellit,

Credas Enceladum bella movere jovi.

Projicit, & celeri prosternit pondere natam,

Omnia comminuit Virginis ossa lapis.

Illa, quoad poterat, miseras in guttura vires

Colligit, & simili Numina voce rogat.

Si me, nullus erit, qui quondam vindicet, ultor,

Nostra ferum prodant ossa, cinisque patrem.

Détque meus tanti tumulus documenta furoris.

Iusta (statim patuit) visa querela Diis.

Diffluit in fontem, non servatura liquorem.

In lapidem rursus, quæ fuit unda migrat.

Saxaque causa necis, quamvis inscripta sit undis,
A saxa potuit posteritate legi.

Et male prostratam lapidoso pondere natam,
Et durum loquitur saxea lympha patrem.

Obvius exierat (tunc jam Rex) Attila sponsa,
Venit ad has (caram Barsida nuper) aquas.

Dum stupet attonitus miracula saxea fontis,
Barsidis ad fluvium serva puella seder.

Ingemit à saxo Dominam genitore peremptam.
Attila vix dictis credit inesse fidem.

Ira, dolorque viri gemino quatit impete pectus.
Dum furit in fontem spicula mota cadunt.

In pharetram famuli subito humida tela reponunt,
Attila Carpathii patris ad arva volat.

Exprobrat in natam facinus crudele Tyranno.
Non minus irato Carpathus ore refert.

Arbitrium natae rapies tu forte parenti?

Attila sed contra: Tu latro, tene patrem?

Nil, quod pacta foret Barsis mihi, movit? in una
Barbarus & natam cæde, fidemque necas?

Plura furor vetuit: loquitur verba ultima telum.
Saxa per aëream stridet arundo viam.

Sed levis ictus erat, tantummodò brachia fixit.
Perfidus ut caderet, sufficit ille tamen.

Illita saxosæ cuspis rubigine lymphæ
In totum lapidis semina corpus agit.

Sic miser, ut quondam voces monuere Deorum,
A nata, & genero percutiente jacet.

In longas abeunt longissima corpora rupes,
Et remanet montes inter, ut antè, gygas.

Sed rapit infelix vindictæ gaudia casus.

Justa ducis lacrymis causa Tibiscus erat.

Dignus amore puer, caraque propago sororis.

Prò dolor oppressus mole Tibisce jaces!

Carpathus ut cecidit, juvenem propè pondere textit.
Ventre tenus rupes inferiora premit.

Mortua pars pueri fuit altera, & altera vixit.

Attila clamanti frustra ferebat opem.

Altius in terram, radices pondus agebat,

Et secum pueri corpus in ima trahit.
 Attila pugnat adhuc juvenem subducere monti,
 In manibus (mirum !) diffluit ecce puer.
 Inde sibi proprium tellus habet Hungara flumen.
 Semiânimis, pueri more, remansit aqua.
 Credere si fas sit, fluvii pars tertia vivit.
 Vivere sed fluvii qualiter unda potest.
 Omnia squammigeris animabus litora spirant.
 Tantum de grandi flumine piscis habet.
 Tota cohors stupuit, solus fremit Attila, binus
 Concitat in furias pectoris ima dolor.
 Diris, atque minis hominésque, deosque laceffit,
 Sydera, si possit, summa mucrone petat.
 Auras ense ferit, rugiens discurrit arenâ,
 Vox etiam subito vera Leonis erat.
 In digitis ungues, crescunt in corpore villi,
 Velantur fulvis colla superba jubis.
 Attila quod fecit, facit, & leo; robore vincit,
 Quamlibet invictas per nemus omne feras.
 Imperat in sylvis, caudâque flagellat arenas,
 Estque sui quondam muneris usque memor.
 Diffugiunt comites: rictus timuere leonis,
 Inque vicem famuli dein fera munus agit.
 Vix Leo factus erat, scelerato à monte recessit,
 (Corpore mutato manserit ira prior)
 Regis adhuc galeam, vittâmq; in fronte gerebat.
 Vittam, cui nuper fata dedere Thronum.
 Cassidis in chalybem radii coiere diei,
 Titan insolito torruit igne caput.
 Reliquias iræ solis geminaverat ardor,
 Excutit impatiens regia signa jubis.
 Jam calcare parat, jam savos figere morsus
 Dentis grande nefas impediere Dii.
 Fatâque Virgineam lædi vetuere coronam.
 In nova mox urbis mœnia cassis abit.
 Conus erat turris, patet instar Buccula portæ.
 Cassidis urbs nomen, qua fuit orta, tenet.

§. XVI.

Corvini Regis scuta, & clypei in urbem Jauricum.

Hungara deinde diu caruit diademate tellus.
Sanctius advenit donec ab urbe decus. (vit
Quaque sacrum pignus primum Hungara regna subi-
Rex festam populo jusserat esse diem.

Moris erant memores dein omnes ordine reges;
Additus, & ludus post statuta sacra fuit.

Dum Rex hæc ageret Corvinus festa coronæ,
Arma jubet belli sumere more viros.

Innocuisque palam Mavortem fingere telis,
Et non læsura bella patrare manu.

Ad data signa tubæ subit omnis miles arenam,
Alter in alterius dirigit arma caput.

Agmine quadrato simulat pars una phalangem,
Altera stat lunæ pars imitata sinum.

Pars abit in cuneos, adversaque dissipat arma,
Instaurat peditum prælia rursus eques.

Circumeunt alii sparsuri ad terga pavorem,
Vinci nunc illos, hos superare putes.

Seria sollicitè mentitum est vulnera ferrum,
Ignivomo tonuit vanus ab ære furor.

Ipsèque Corvinus ter amicam tentat arenam,
Et toties strato victor ab hoste redit.

Arma viri ponunt: cecinerunt æra receptum.
Figere Corvino turba trophæa parat.

Quercus multa penes castrorum septa virebat;
Appendunt clypeos, & sua scuta viri.

Laurus erat, Regis cui victor inhæserat umbo,
Circum festivo murmure castra fremunt.

Concinitur Pæan, tremunt omnis terra choreis;
Tympana dant animos, dant animosque tubæ.

Ecce repente viri, muto velut ore, stupefcunt.
Agmina prodigiis attonuere Dii.

Undique stare videt circum se mania miles,
Urbsque loco surgit, quo modo campus erat,
Sese sponte ligant implexo vertice quercus.

In muros clypei, Scutâque fixa migrant.
 Regius ante omnes, in mania creverat umbo,
 Regis ad exemplum cetera turba facit.
 Urbî grande datur Corvini à nomine nomen.
 Veridico (testor Teutonas) ore loquor,
 Jusque suum formâ servârunt scuta sub urbis.
 Officium muri, quod prius illa gerunt.
 Excipit Odrysi Jaurinum tela Tyranni,
 Christiadam clypeus praesidiumque manet.

§. XVII.

Virgo Comorra, dum in Sinanis vota consentire nollet, in testudinem mutatur. Dicitur Urbs Comaromium testudinis formam imitari. Oppugnata est Comaromium irrito conatu à Sinone Bassa Anno 1594. Ujvaria in urbem Ujvarinum. Lacrymae illius in acidulas, quarum magna copia in Hungaria.

Adfuit Eoî Dux regnî nomine Sinan.
 Dum stâta sacra daret Rex, populûsque Diis
 Ambitióque ducem visi diadematis uir;
 Nec se crediderat juris habere nihil.
 Nam quoque se natum jactaverat esse Dianæ;
 Si verum est, Hecates fortè triformis erat,
 Ad patriam rediit rursûm rediturus in armis,
 Ut, (modò Diû faveant) hæc sibi regna paret.
 Ille tamen nunquam tentavit milite terram:
 Consiliis positus, nescio, quis sit obex.
 Lustra dein post quina quater transacta secutus
 Vota fuit patris, patre jubente, nepos.
 Hic ut Pannoniæ populos exploret, opésque
 Ingreditur, cultu dissimulante Ducem.
 Fluminis ad ripas habitabat Virgo: fuere
 Ex adamante fores, ex adamante domus.
 Hungariæ populus Nympham dixere Comorram.
 Pulcrior in tota non fuit ulla plaga.
 Hicet hanc Regis natam, putat, esse Sinanes,

Regna

Regna cui dotis debita jure forent.

Rara virum vultus species decepit, & ædis,
(Danubii tantum nam fuit illa soror.)

Principis extemplo geminato pectus ab igne
Arserat, ambitio miscet amorque faces.

Cur mihi tarda parem per durum regna Gradivum?
Mollis hymen citius cum dare possit, ait.

Ferre statim mandat Legatos munera Nympha.
Sapius à donis molle cor esse solet.

Venerat ipse dati crebrò quoque muneris author,
Nil legatus agit, nil agit ipse Sinan

Munera non oculo dignata, nec aure loquelas
Nympha, nec est juveni passa patere fores.

Institat ille magis, precibusque minisque fatigat.
Pondus abest precibus, pondus abestque minis.

Nympha (rogat) resera, non venimus urere testa,
Quaro modum flammæ pectoris ipse mea.

Non est, crede mihi, cur me vel dona timeres,
Munera, quæ misi, mittere jussit amor.

Non sum (fortè putas) Thalamis regalibus impar,
Nubes, si mihi vis nubere, Nympha, pari.

Est Latona parens, divo sum stemmate natus,
Regia quid dubitas pandere Virgo fores?

Faustus ero, fateor; si te mihi junxerit Hymen.
Sed dici poteris me quoque faulta viro.

Non opus, ut nostræ mendicent pabula flammæ;
In votum nuribus non satis unus eram.

Utere fortuna, multarum vota tenebis.

Regia quid dubitas pandere Virgo fores?

Attamen haud tibi me fuisse, sed undique dicam:
Sponsa fuit vidui, sponsa miserta mei.

Non vis in thalamum? patiar, me suscipe servum
Regia quid dubitas pandere Virgo fores?

Illa nihil contra: tentat penetrare Sinanes.

Quælibet in cassum vis agit, arsque manus.

Aut abit in furias Sinan, aut finxerat iram.

Limen, ait, subito pande, vel arma paro.

Ecce viros circum! valido jubet impete portam
Rumpere: non moto cardine porta manet.

Ingeminat rursus, rabido clamore : reclude,
Sava, fores, foribus durior ipsa tuis !
Trux adamas, saxo fera gemma ferocior omni,
Cur oculis aditum das, pedibusque negas ?
Vel totus pateas, vel totam claudito Nympham,
Non visâ fuerit pœna carere minor.
Non (scio) sic ictus adamas eludere posset.
Exemplo didicit durior esse tuo.
Virginis aspectu rursum sese ira remisit.
Tœnitet, & blando corrigit ore minas.
Ah referes, amor est, fateor, perfringere limen.
Cur vis ista pati, dum referare potes ?
Non bene conveniunt tuus, & tua pectora, vultus ;
Durities faciem dedecet ista tuam.
Cur ardere vetas ? cordis tamen ima peruris.
Non mihi, sed flammis sis, precor, æqua tuis.
Authores (ô monstrum !) iusti simul hostis amoris.
More jubet dominæ vultus amare tuus.
Conde faces oculi ; flammati missile teli
Robur habent, oculi conde, Comorra, faces.
Dum flagro, quod cogis, facio, nix ista genarum.
Nescis, quàm grandes suscitet una rogos.
Illa tui possit cui cerni purpura vultus ?
Quin simul erubeat concolor igne sinus.
Si tamen usque mihi, (me desine poscere,) dicis.
Desino : sed vultus exue Nympha tuos.
Mentior ipse mihi, non nostra incendia formæ
Causa facit, quamvis hæc quoque causa facit.
Iste decor vultus longo vitietur ab ævo,
Parce tamen niveis parce, senecta, genis.
Injiciantque manum non digna tempora formæ.
Non, fiat ; sed si fiat, amabo tamen.
Et dotes animi rapiunt, virtusque Sinanem.
Crimen duriæ, qua malè spernor, amo.
Ista tui testis nobis est certa pudoris,
Quamvis dum nimia est, vix feritate vacat.
Tunc chalybis ritu sis dura Comora licebit ;
(Fac citò sis) fueris cum mihi juncta viro.
Cur placeat scelus ? esse potes sine crimine dura.

Regia quid dubitas pandere Virgo fores ?
 Illa tacet : rursus toto quatit agmine portam.
 Sed fuit, est, & erit vis tua casta, Sinan.
 Numina Cornigeræ vocat ergo triformia matris.
 Afferat ut nato (ne sit inultus) opem.
 Sunt rata vota Deæ, rapitur de Virgine vultus.
 Clausa brevi tecto tota Comorra jacet.
 Lenta pedes, & muta labrum, porrectaque caudam.
 In gelido tantum vivere sœta lacu.
 Denique vel similis, vera aut testudo Comorra est.
 Mutatam salso riserat ore Sinan.
 I nunc, & juvenum, si possis, fallito vota !
 Quam sint dura tibi pectora, testa docet.
 Frigida fide viris. Vestæ tamen esse Sacerdos,
 Et casto poteris pabula ferre foco.
 Virginitas tua tuta domo est, in calibe semper
 Vives æde ; domus non capit arcta duos.
 Territus informi fuit Ister ab ore sororis,
 Omnibus, ut corpus molliat, urget aquis.
 A reliqua terræ spatium regione revellit.
 Illa dein tellus Insula dicta fuit.
 Crediderat frater, quod sic plus proderit unda,
 Cingere si fluvio possit utrumque latus.
 Vicinumque Vagum rogat, ut sibi misceat urnam,
 Hinc in Danubium non procul urbe fuit.
 Sed sibi plus Ister nocuit, quam flumine profit,
 Adsita duritiem corporis auget aqua.
 Altera sunt murus, sunt altera mœnia fluctus,
 Officium testæ murus, & unda facit.
 Risit utrumque Deum, vanosque Ujvara labores.
 Improba ridentis viderat ora Vagus.
 Ille refert Istro : simul addidit, ejice fluctus
 In scelus hoc, veniæ non sine, dive, locum.
 Sed timet Ister adhuc translitora mittere flumen :
 Nuperno didicit cautior esse malo.
 Fluminis, inquit, inops quid sint mea numina ditæ.
 Sæpe rei pretium re caruisse dedit.
 Advocat è levibus subito Tritonibus unum,
 Qui ferat, ut veniat mox, sua jussa Siti.

Proximus ad Lybiæ steriles ardentis arenas
Est locus, & sicco pumice structa domus.
Exulat inde latex, est fluminis inscia tellus.
Sirius arentes semper adurit agros.
Reptilis in quavis venit obvia Dipsas arena.
Dipsas habet rabida sæva venena sitis.
Illinc cum calidis sedem febris Hæctica fixit,
Quaque sitim nunquam flumine placat, Hydrops.
Nullus ibi Notus est: madidis Notus evolat alis.
Sal est pulvis, agit ventus in ora salem.
Ut primum Tritona videt, sitis arida prodit.
Ora Dæ siccæ semper anhela patent.
Arida lingua procul patulo dependet ab ore,
Ipsaque sunt multo scissa calore labra.
Omnis abest sudor, licet intima torreat ignis,
Obsita pulveribus per cava colla via est.
Non illi fluvii, non fontis cura legendi,
Obsequium fontis proxima Lerna facit.
Flumine rorantem vix non Tritona bibisset:
Ille sed opposito stare tridente jubet.
Jussa refert Istri, mox, ne siccetur, abivit,
Dipsadas illa manu sumit, inique viam.
Nescia dormibat venturæ Ujvaria panæ.
Præbuit acclivis cespitis herba torum.
Suspensa Dea sicca gradu venit, admovet anguem.
Pectora continuo serpit in ima sitis.
Evigilat, nec enim superabat in artubus humor,
Languida qui somno membra ligare solet.
Undique quærit aquas, totum sibi destinat Istrum.
Sed miseram ripas Ister adire vetat.
Quidquid agat, tacito reici se robore sentit.
Savitis interea sicca venena furunt.
Lingere res casta est, sitiens Ujvaria! labrum,
Humida jam virus, siqua fuere bibit.
Flumina de sèctis potat crudelia venis,
Vulnus erat levior credita pana siti.
Sed medicina malum pariter dum curat, ada get.
Viscera sunt fuso sanguine sicca magis.
Deserit hostilis malefaustam litoris oram.

Trenchinium versùs spe properabat aquæ.
 Tentat adire Vagum; sed & hic quoque rejicit illâ.
 Dant oculi tandem, quas negat annis, aquas.
 Ore bibit pleno malarum flumen, iisdem
 Egeritur lacrymis, ingeriturque dolor.
 Jam sitiisse magis velit, ut sit densior imber,
 Ad votum nunquam sat fuit aucta sitis.
 Stulta sitire sitit, sitis ut sic arida cesset.
 Quid miseram juvit lacryma? pejus habet.
 Dum bibit ex oculis calidos, falsosque dolores;
 A sale, nil mirum, crevit, & igne sitis.
 Savius exussit calor ilia, pharmaca tandem
 Serò sagax damnat deteriora malo.
 Sistere sed nondum poterat dolor efferus irabres.
 In terram lacrymæ fluminis instar eunt.
 Illico siccus ager lacrymatas imbibit undas.
 Salsa sinum passim gutta cavavit humi.
 Undique Trenchinii scatet hinc vicinia lymphis
 Quas acidus lacrymas denotat esse sapor.
 E supera tendit Virgo regione deorsum,
 Si modo fortè daret mitior Ister aquas.
 Longè distat adhuc, jam sentit membra teneri.
 Concessit querulæ Nitra misertus aquas.
 Sed modicum parvus madefecit guttura rivus,
 Deficit in ripæ margine Virgo siti.
 Intima languebant siccatis ossa medullis,
 Nulla erat in toto corpore gutta super.
 Aruit in saxum moriens Ujvara; sitisque
 Finis, & humani corporis unus erat.
 Numina fecerunt cum tempore crescere saxum.
 Tempore de saxo mœnia capta strui.
 Ujvaria nomen muris de Virgine mansit.
 Urbs nota Hungarici non magis ulla soli est.



§. XVIII.

Belgradum seu Taurunum ; in fluvio videt, se
cornua (luna videlicet Turcica, in cujus pote-
state est) fronte gerere : jacturam suæ formæ deplo-
rat. Poëta brevi eam restituendam promittit, & ex
Augustissimi hæredis nativitate solatur.

UJvariæ tetigere Jovem suspiria, tandem
Metas dissidiis impositurus erat,
Una salus visa est, si pacis Numina mittat,
Pacis, quæ placido mulceat ore plagam.
Dum Dea se lenis toti pervaserat oræ ;
Dissita Taurunæ visere tæta juvat.
Convenere Deæ. Pax ceu foret icæta, recedit.
Altera, quis veniat terror, & unde ? rogat.
Parce mihi, Virgo Taurunia ! parce timori,
Pax ait : an dicam ? cornua fronte geris.
Illa, domus veluti sit fulmine tacta, tremiscit.
Vix quæ falsa velit, credere vera potest.
Istri, deinde Savi, rur um Istri consulit undas,
Cornua fers, Ister dixerat, atque Savus.
Ter quater admovit faciem, subitoque retraxit ;
Extimuit vultus cernere Nympha suos.
Non credebat adhuc, dubitataque cornua tangit,
Est oculi, dextrâ teste, probata fides.
Hei mihi (quid video !) secum Tauruna gemebat.
Effigies fio nominis ipsa mei.
Sæpius elato vocem clamore probabat.
Vox an adhuc hominis, sit sua, sitve bovis ;
Solari pax Diva parat, Tauruna recusat,
Dixit : (vix potuit dicere) triste : vale.
Néve suos videat vultus, in opaca recessit.
Solamen miseris est sine luce pati.
Nuper fama Jovem venturum ad mania Budæ
Sparserat ; audita est mox Dea mæsta queri.
Quod scelus, O Numen ! tantum Tauruna patravi ?
Ut patiar formæ damna pudenda mea ?

Da mihi, quem pascam redivivo viscere corvum,

Da mihi, quæ rursus saxa ferenda feram ;

Tantalus ore petam fructus, & Tantalus undas,

Decipiantque famem, decipiantque sitim.

Hæc modò si patiar defletæ reddita formæ,

Corvus, saxa, fugax fons, mihi munus erit.

Per centum jubeam deponere vulnera vitam.

Pæna gravis fateor, sed mihi pæna minor.

Terra bis obrigit glaciali vincita catena :

Flava Ceres toties vincula cana scidit.

Et poteram dici (sed quanto tempore !) felix.

Tunc à Barbarico libera jure fui ?

Mox mea cum foliis cecidit fortuna caducis.

Turca sub autumnum, fer juga, victor ait,

Scilicet Odrysiò quamvis subjecta Tyranno,

Fausta fui : nondum cornua fronte tuli.

Quid queat (ah nihil est) gravius tolerare puella !

Virginibus vultus gloria sunt, & opes.

Heu mihi quis splendor de vertice verberat ora ?

Fallor ? an infelix cornua picta gero ?

Victima Bosphoricas, quis scit, raptabor ad aras,

Rapter, erit finis culter, & ara mali.

Hæc mihi sola, precor, morituræ gaudia præbe,

Ut tibi non hosti, victima, dive, cadam,

Jupiter audivit : cessa Tauruna querelæ :

Tempore non longo cornua fronte geres.

Munera Casareis mittes tua cornua cunis ,

Juppiter hæc parvus ceû sua fulcra premet.

Sub forti discent sobole, & constante moveri,

Affuescent teneros ante jacere pedes.

Concipient famula nunc mobilitate soporem ;

Dent fugiendo dein, laureaserta viro.

Aspice, signa dedit genitor vinctricia cunis,

Aurêum vix natus pectore vellus habet.

Fluctuat in cunis, velut Argo, parvus Jason.

Hic inter spoliùm Colchica regna feret.

Parvulus (audivi !) generosum vagiit, audi !

Cornua, non sentis ? verticis ambo tremunt.

Desine jam grandes Leopoldi poscere manes :

Magnus

Magnus in hoc Caroli pignore vivit avus.
 Magnus vivit avus, parvo se major in isto:
 Magnus enim magno cum patre vivit avus.
 Vive Auguste puer gemini spes altera mundi!
 Vive diu, & factis omina vince tuis.
 Jam tua præludunt faustis cunabula signis.
 Orbis cresce: tuo es principe, cresce, minor.
 Hespera terra diem nato dedit, Austria nomen.
 Certarunt dominum dicere regna suum.
 Si tibi nascenti solis domus utraque servit.
 An sat regnanti (non satis) orbis erit?
 Dummodo, quæ vincas, genitor, Leopoldo relinquat.
 Implebis lauris omnia regna tuis.
 Sidera par maghis addant virtutibus ævum,
 Nec numerent annos per tua facta tuos.
 Tutantum cave trina soror necis arbitra falli.
 Undique si rumor grandia facta canet.
 Gesta brevi spatio (quamvis per secula centum
 Gesta queas agrè credere) crede tamen.
 Aspiciat natique parens natûsque parentis
 Canos, & geminus Phæbus utrumque colat.
 Cresce orbis, sibi ne calum natûmve, patrémve
 Vendicet; ambobus si minor orbis eris.

P E R O R A T I O.

JAmque opus exegi, cui nulla nocere favilla,
 Non aqua, non ferrum, non volet ira Jovis.
 Nec poterit spatium, nec edax abolere vetustas.
 Altera sed perdet, primave fortè dies.
 Perdat prima dies, nihilo mea vota fefellit:
 Ista fuit vitæ meta sat ampla mea.
 Vos operæ pretium mihi reddere grande potestis,
 Tempora quæis hodie laureus ambit honos.
 Qua cernam vobis nostrum placuisse libellum.
 Illa mihi fuerit secula mille dies.

F I N I S.



59.

N O M I N A O F F E R E N T I U M.

SAMUEL BENYOVSZKI, Præ-nobilis Hungarus Tyrnaviensis, ex Comitatu Pofoniensi.

GEORGIUS SZUNYOGH, Perillu-
stris Hungarus, de Kis-Divinka, &
Jefzenicz, ex Comitatu Trenchi-
niensi, Seminarii Sancti Adalberti
Convictor.

FRANCISCUS ANTONIUS AN-
DREANSZKY, Prænobilis Hun-
garus Majthiniensis, ex Comitatu
Pofoniensi, Seminarii Mariano-Se-
lepcséniani Convictor.

CAROLUS FINACZI, Nobilis Hun-
garus Pofoniensis.

ANTONIUS CSATARY, Nobilis
Hungarus Pofoniensis, Seminarii
Sancti Adalberti Alumnus.

OSZK

